


BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
34 M H
39

MVSARVM
PLAVSVS
ALEXANDRO
SEPTIMO
PONTIFICE MAXIMO

Renunciato






Typis Vitalis Maſcardi. M.DC.LVI.

Superiorum permiſſu.

Imprimatur.

F. Raimundus Capisuccus Sacri Pal. Apost. Mag.

FERDINANDO
FVRSTENBERGIO
S. D. N.
CVBICVLARIO INTIMO
Typographus.



LITERATI quidam viri, IVVENIS ILLVSTRISSIME, quorum ego ſapienti conſilio, fidelique vtor, ne, quod accidere ſæpe video incautis Typographis, characteres mei operam ludant in imprimendis, quæ intemperãter effutiũt homi-

nes de nugis ſuis magnificè ſentientes; cohortati me nuper ſunt, in vnum colligerem quicquid Latini carminis à magnis ingenijs expreſſiſſet auſpicatiſſima illa dies, qua ALEXANDRVM VII. Summum Pontificem renunciatum proſecuta ſunt læta, fauſtaq; literariæ non minus, quàm Chriſtianæ Reipublicæ vota. Fore enim, vt & non leui cum meo compendio id ageretur, & ego præclare mererer de dignitate huius Vrbis, in qua nihil iamdiù cudi vetere Latio dignum non deſunt qui vſq; ad faſtidium conquerantur. Rem ita eſſe, vti dicebant & ipſorum authoritate facilè adducebar, vt crederem, & coniecturam de illo faciebam,

quòd

quod ita existimari par erat, illorum, qui aliquem in Poetarum familia locum tenerent, summam concertationem extitisse, cum eum laudarent, cuius anteacta vita omnis in cursu rerum maximarum sapienter, gloriosèq; versata non minus Poeseos Lyram ad hymnos, & Dithyrambos, quàm Historiæ stylum raperet ad scribendum; quemque erga bonas literas egregie propensum, & æquum æstimatorem esse ingeniorum abundè testaretur non ille solum per ora totius posteritatis iturus aureus carminum libellus; verùm etiam eximia fors eorum, tuique imprimis, quos in familiarium suorum numero esse voluisset. Lubens itaque suscepi prouinciam, omnemque operam

mique Principis beneuolentiam patefecere; ita futurum ego speraui, vt, si fasciculum hunc nomini tuo inscriberem, tu, qui est animi tui candor, atque facilitas, non solùm meam erga te obseruantiam comprobares; verùm incitareris etiam ad reliqua vulganda, quæ ad idem argumentum spectarent, quæque simile vero esset, in tua scrinia vltro conuolasse; neque enim eo casu laturam humanitatem tuam, vt ab huiusmodi gloriæ possessione Typographus quispiam deturbaret officinam meam longos aliquando pro te labores libentissimè subituram. Romæ prid. Kal. April. M. DC. LVI.

ALEXANDRI POLLINI AD FERDINANDVM FVRSTENBERGIVM, S. D. N.

Cubicularium intimum.



AVREVS illuxit nostris, Fernande, vocatus
Ominibus, votisque dies. iam lumine claro
Contigimus, cæcas cupida quod mente per umbras
Vidimus, arcanos ausi præuertere fines
Fatorum, dum quæ præclara, & certa relinquit
Signa olim, ætheria veniens ab origine virtus,

Insequimur, legimusque animæ vestigia magnæ.
Nunc licet in summo regnantem culmine rerum
Suspicere, & triplici nunc maiestate verendum
Demisso colimus vultu, genibusque minores
Oscula adoratis properamus figere plantis.
Regnat ALEXANDER.*Subitò viden'imbribus actis*
Purpureo vt ridet pacatum lumine cœlum?
Vt nitidi redeunt post tristia tempora soles?
Et mites Zephyrorum animæ? circùm aspice tellus
Vt properè varios summisit læta colores?
Quam dulci aëriæ volucres clangore per auras
Venturo indicunt hilares noua gaudia sæclo?
Aspice compositis immotum vt fluctibus æquor
Post fœdas nunc primùm hyemes, ventosq; resedit?
Cerne Vrbem effusam, plausuq; insueta frementem,
Lætitiaque simul iactãs sydera voces
Accipe, non falsos populi exultantis honores.
Nam memorant, cælo tandẽ vt miseratus ab alto
Antiqua humanos Genitor pietate labores,
Regnandum huic dederit magnis virtutibus orbẽ:
Auxilium fessis præsenti numine rebus
Qui ferat, & duro Europam sub fasce gementem,
Bellorumque diu tot tempestatibus actam
Qui leuet, ac profugę reuocet bonus otia pacis.
Nec tamen vltrices generosi pectoris iras

Non

Non coquere, & iustos animo versare dolores,
Armaque sacrilegos meditari & fulmina in hostes.
Huius in aduentu iam nunc pallere superbum
Regnatorem Asiæ, trepidum, atque extrema ti-
mentem,
Seque peti terra, & pelago; ferroque virisque
Ingentem repeti prædam, Solymamque reposci.
Parte alia populos longè trans ardua claustra
Italiæ, gelidum spectantia regna Booten,
Et Rheni egregias, fluuijque binominis vrbes,
Lætitiæ miros imo sub pectore sensus
Concipere, & veterem subitò consurgere flammam.
Hunc illum auspicijs nuper cœlestibus oras
Quem videre suas venientem, atque alite fausta
Omnia supremis obeuntem laudibus; illum
Quem pietate, & iustitia, quem sanguine clarum,
Flexanimo linguæ eloquio, doctisque beatum
Artibus, & casta facilem, dulcique camœna;
Attonitis inhians oculis, ceu præscia tanti
Suspexit mirata boni Germania: triste
Dissidium, cæcasque iras, animosque rebelles
Exarsisse satis, gentem iam tendere amicam
(Chaoniæ ad nidum veluti per inane columba)
Ad Tiberim, & magnæ properare ad mœnia Ro-
mæ..

Iam sacros orare pedes, veniamque precari,
Et pacem, certamque adeò exorare salutem:
At fremitu maiore ferunt, quæ munera terram
Hesperiam, Latiumque, altam Mauortis & Vrbē
Quæ maneant, propiùs quanta indulgentia cœli
Aspiciat sacros orienti sydere colles:
Hàc lusisse tenus vates Saturnia quondam
Regna per Ausoniam, & de fuluo sæcla metallo:
Aurea nunc verè tali sub numine condi
Tempora, iam reduci cum Virgine læta venire
Omnia, detersa prisci rubigine ferri.
Iam decus antiquum, & solitos constare triumphos
Principe ALEXANDRO *Romanis arcibus; & iam*
Relligione patrum, sanctę & formidine dextræ
Victorem latè, gentes ab vtroque receptas
Littore, adoratæ imperio subiungere sedis.
Hoc duce præclaras florescere protinus artes,
Et Latia tellure nouas iam surgere Athenas:
Permessi mutare vndas iam Tybride Musas,
Desertoque Helicone iugum celebrare Quirini.
Hæc bona non dubio monitu mortalibus, addunt,
Ex illo speranda, Heros quo tempore primum
Attigit exoriens venientis lumina vitæ:
Cum summo atherij residens in vertice olympi
Regius ardenti fulgeret Iuppiter auro,

Et vaga composito circùm famulantia motu
Inter se adspicerent radijs felicibus astra.
Lydia materno cœlestia pignora tellus
Cum gremio exciperet, quà sese vrbs erigit alto
Clara iugo, fœcunda virùm, decorumq; creatrix;
Regales fulua pueros sub matre, superbum
Insigne attollens, nec sanguinis immemor alti,
Cognatam ostentans nota sub imagine Romam:
Cum domus egregios intra generosa penates,
(Nomen auis, atauisque ingens) longo ordine viuos
Monstraret puero vultus, & facta suorum
Mirari, inque sacris vestigia figere signis,
Et patrio in teneris laudum consuescere amori.
Nec maiora silent regni argumenta futuri,
Haud obscura, virum veniens vbi reddidit ætas,
Quæ dedit ille. Dei pura super omnia plenum
Relligione, metuque animum, niueosque pudici
Pectoris, inuictosque, vllo sine vulnere, mores:
Tum largè nitidis haustas de fontibus vndas
Cœlestis Sophiæ, Themidisque, & Palladis artes,
Queis populos regere imperio, quibus aspera doctus
Flectere corda hominum, positis olim effera bellis
Sæcula felici mitescere pace iuberet.
Quid referam lætos augustæ frontis honores
Vt repetunt, celsosq; animos, mentemq; benignam,

Regificasque manus, facilemq; ad præmia dextram?
Quid studium, totque exhaustos terraque mariq;
Pro re Romana, pro Relligione labores?
Tot benefacta viri? quæ tu, Fernande, beatus
Spectasti primis mirari aßuetus ab annis:
Et patrias etiam Rheni meditatus ad undas
Tentasti Arctoas plectro leuiore per auras.
Nunc quæ mira vides, propiore beatior almæ
Frontis ab aspectu, prona quæque accipis aure,
Quæque feret voluenda dies facta inclyta summi
Principis, & nomen latè immortale, decusque
Maiori celebrare sono, grandique memento
Carmine, Mœoniisque modis attollere ad astra.
Diuino ingenio, & præsenti numine vates
Quæ dabis, æternùm referens mirabitur orbis,
Et seri aßiduè discent memorare nepotes.



ANGE-

ANGELI GALLVCII

S. I.

O D E.



TErris morantem sustinui Deum
Spectare viuens, cedite Principes.
Par nulla maiestas ab Austro
Ad spatium glacialis vndæ.
Sed temperatum fulgur amabili
Vultus sereno, luminibus face
Pepercit obtusa; timoris
Ne subito in cineres abirem.
O ter beatos vos oculi, & quater,
Solem intueri queis licuit prope;
Ad cuius exortum recentem
Quanta dies hilarauit orbem!
Quot inuoluti lumine vertices

Hac luce tangi cominus ambiunt?
Sed longe adorantes ab Vrbe
Vix tenuis radius colorat.
An inuidetis luminibus meis
Aures? at oris mella fluentia,
Et nectar in voces liquatum
Quis nisi vos sitienter hausit?
Vobis cor vnum scilicet altiùs
Demisit in se, cælitus edita
Verba illa vitæ, quæ sepulchris
Clausa queant animare membra.
At fonte me dulcedinis ebrium
Quod percit œstrum: aut versat amabilis
Furor? quis in pectus per aures
Ingruit, atque oculos beauit.
Haud nominatus? nominis haud eget,
Qui solus explet munera Numinis:
Nam summa Alexandro potestas
Aut miseros facere, aut beatos.
Regina ponti maxima Baltici,
Sibylla nostri temporis vnica:
Quæ celsiori tangis astra
Vertice, deposita corona:
Quid iam moraris visere Romuli
Vrbem, Latinique imperium Patris;
Et


Et forte Regali haud minorem
Purpurei speciem Senatus?
Non te per oras mundi habitabiles
Vulgata virtus, & sapientia
Vocant Alexandri, benigno
Cuncta supercilio trahentis?
His tu data hospes mœnibus altera
Eris Sabeis excita finibus
Regina, consultura Regis
Ingenium Salomonis ingens.
Æquata Cœlo tecta vbi videris,
Queis Vaticanus suppofuit caput;
Sedesque fulgentes, & apto
Summa domus decorata cultu.
Seruos & ipsos Principibus pares,
Aulæque claustris digna silentia,
Ritusque Regales, vicesque
Ordine dispositas decenti;
Stupore fixis tu quoque vultibus
(Miranda quamuis multa notaueris)
Non vlla Regum sceptra duces
Pontificum potiora Regno.
Vagata (dices) fama per vltimos
Mundi recessus, & rigidum mare,
Virtutum, Alexander, tuarum

In-

Inuida dimidium retexit.
Quam longa laudum me series tenet
In te stupentem! suspicere hic datur,
Audire quæ numquam gelantum
Per populos licuit Trionum.
Felix tuorum copia nobilis
Domesticorum: perpetuo quibus
Fas est in isto recreari
Pontificis sapientis ore:
Sic in suprema Cœlicolum domo
Regi obsequuntur millia millium, &
Est solus aspectus Tonantis
Obsequij pretiosa merces.
Hæc eloquere, & plura; vbi pectore
Responsa docto condideris sacra,
Regina non Austri, sed Arcti,
Romulei Salomonis hospes.
At vos mihi inter sydera Phosphori,
Per quos Apollo hic sponte diem facit;
Vos astra tanquam faustiora
Rite mei venerabor ortus:
Et te beatum, qui nihil inuides
Achilli Homerum: maior & inclyto
Viues Alexandro, quod alter
Præco tuarum amat esse laudum:

Teque

Teque o, niualis pectoris intima
Cui se recludunt: qui penitus vides
In innocenti corde, nostris
Aligerum spolijs amictum:
Quid carmen audes? siste volatiles
Pennas. Olympum stultitia petis.
Cantare Alexandrum decenter
Ipsius vna potest Camœna.



AV-

AVGVSTINI FAVORITI

S. D. N.

Ab Epistolis Latinis

AD P. SFORTIAM

PALLAVICINVM.

S. I.

Nicander.



NVper ad Albuneæ siluam, quà rupe sub alta
Spumanti præceps Anio deuoluitur amne,
Dædala vbi exultans læto se gramine tellus
Vestit, & æternùm violis vernantibus halat,
Alluduntque leues auium concentibus auræ,
Tityrus, & Lycidas læti florentibus annis,
Ambo

Ambo paſtores, ambo cantare periti,
Carmine ſilueſtri ad numerum ſilueſtris auenæ
Certauere pares, cum Sol altiſſimus vmbras
Exiguas faceret, ſteteruntque, canentibus illis,
Paſtores gregis immemores, grex immemor herba,
Quin & Hamadryadum chorus affuit, affuit ipſe
Pan Deus, ac fremitu Satyri plauſere ſecundo.
Horũ ego certamẽ, mihi quod referebat Amyntas,
Carmine veridico referam, niſi falſus Amyntas.
Tu modò, ſi muſam non dedignaris agreſtem
Sfortia, ſtirpis honos magnæ, quo ſoſpite ſacrum
Tollit adhuc ſupra gentes caput Itala Virtus;
Hùc ades; hìc molli mecum conſidere in herba
Interea, ac lentus poteris captare beatam,
Quam, Zephyris quercus ludentibus, explicat vmbram,
Dum rabidùm latrat canis æſtifer, aruaque findit
Torrida, dum tibi ſudantur quæ Bætis, & Iſter
Miretur, ſerique legant monumenta nepotes.
Ergo vbi propter aquam viridanti in gramine ripæ,
Procubuere, prior Lycidas. En Tityre nobis
Illa dies tandem, bene quæ decernere poſſit,
Quis noſtrùm melior cantu ſit, & arte cicutæ.

Quo

T. *Quò me cunque vocas adsum, sic adsit Apollo.*
Non ego detrecto certamina, non ego forsan
Vt reris, canere indoctus. Scit victus Iolas
Scit Dorylas, scit Acon, scit Tibridis accola Daphnys

L. *Tu mentem hùc aduerte Mycon, nec sit graue nostras*
Audire, arbitrioque tuo componere lites.

M. *Ludite quæ vultis, cantuque exoluite curas.*
Pastori licuit semper, semperque licebit,
Cum bene pauit oues, genialis cantus, & vmbra.
Quod si vmquam licuit calamis, si versibus vnquam
Ludere, nunc pastor calamis, nunc carmine ludat;
Quando suas sibi pascit oues, ouiumq; suarum
Vellera securus sibi tondet, & vbera mulget.

T. *Incipe tu Lycida.* Ly. *Faciam; sed nequa sit isti,*
Vel mihi suspicio meditati carminis, omnem
Materiem præscribe Mycon, legemque canendi.

M. *Et dubitamus adhuc cum laudes, claraque facta*
Nicandri montes resonent, vallesque profundæ,

Plau-

Plaudere Nicandro, Nicandrum tollere ad
astra,
Cui Diuûm imperijs magni custodia templi,
Et gentes latè in Latias commissa potestas?
L. *Non opis est nostræ Nicandri dicere laudes,*
Sed Vatum; quibus est animus Diuinior, &
vox.
Nos humiles humili res dicere carmine sueti,
Ac miscere leues per mutua iurgia lites.
M. *Non semper leuiora decet resonare cicuta*
Pastores Latios, sed vt ipsa armenta, gregesque
Pascuntur nunc valle caua, nunc montibus
altis;
Sic decet interdum gracili nos promere cantu,
Quid faciat pingues pecudes; quid pabula læta,
Munera quæq; leues vincant Amaryllidis iras;
Concipere interdum validos sub pectore motus,
Et canere Heroas, & numina magna Deorum.
T. *Audebo. Obsequium Nicander fronte serena*
Accipiet, si non laudabit carmen. Ly. *Et ipse*
Audebo. Audenti veniam dabit ille, sinetque,
Me laudi, meritisque suis, & grandibus ausis,
Dum maiora paro, tenui proludere versu.
Illi nostra quies, illi gratissima ruris
Otia debentur; quin ipse hic spiritus illi
Debi-

Debitus; ille meos calamos non passus inertes
Hospitiumque dedit, collemq; habitare Quirini.
Et quamquam minime liceat mihi; vt antè li-
cebat,
Sancta impressa notis cęlestibus ora tueri,
Antè, Mycon, versa in cœlum radice, videbis
Tendere Chaonias quercus, terramque subire
Frondibus, ante nigro manabunt lacte capellę,
Quàm sacer è nostro labatur pectore vultus.
M. *Ergo agite, & celebrate Virum, sed gentis ho-*
nores
Mittite Nicandri proprijs adiungere factis.
Illa quidem effigies longo notat ordine auorum,
Qui belli studijs clari, nec pace minores
Addiderunt patrijs ingentia nomina fastes.
Necnon qui miro posuerunt ardua luxu
Tecta, Deùmque sacras animis regalibus aras
Ipsi aris olim decorandi, quique benigno
Amplexu fouere Deas Heliconis, & omnes
Egregias Artes. Gens auri diues, & agri,
Ausoniasque domos claris complexa hymenæis,
Et latè quondam Tusco dominata profundo,
Quà sacer Alcidę portus. Sed nescia virtus
Crescere maiorum titulis. Erit hic Vir hic
vnus.

Ar-

Argumentum ingens, meſſiſque vberrima laudum.
Vos canite, vt ſtudijs maior puerilibus infans,
Cum vix à caræ depulſus lacte parentis
Figeret incerto dubius veſtigia greſſu,
Templa celebrarit ſuperûm, imbueritque tenellum
Relligione animum: vt fugiens contagia vulgi
Hauſerit auguſtos intra documenta penates,
Queis ille inſiſtens ſumma ad faſtigia rerum
Surgeret, ac feſſo tandem ſuccurreret orbi.
Inde vbi virgineas prima lanuginis vmbræ
Conſperſere genas, memorate vt venerit Vrbem,
Vt grauibus curis virides addixerit annos
Munera per populos obiens, limenque potentum
Calcarit, quorum ante fores manus excubat atra,
Inuidia, inſidiæque truces, fraudeſque, dolique,
Nec tamen attigerint illum fraudeſue, doliue,
Aut ſordes aliæ: ſed qualis per mare vaſtum
Integer euadit Siculas Alpheus ad oras,
Sic magnam intactus Nicander mentem, animũq;
Verterit ad patriæ ſemper cæleſtis amores.
Teſtes, quos olim Diuino percitus igne
Corticibus teneris ætate tenerrimus ipſe
Inſcripſit verſus, & quos iam firmior ætas
Ore alio indictos è vena diuite fudit,
Per numeros omnes, quiduis imitante Camœna.

Dicite, quot vigili versaret pectore curas
Cum victum miseris tellus irata negaret.
Gentibus, & crebræ viduarent oppida mortes,
Bellaque vicino fremerent insana tumultu,
Quà centum Eridanus fluuijs, luctuque sororum
Diues init Libycis regnatum flatibus æquor.
Et quæ gessit in Ionio, quà nota trophæis
Insula Sicanium contra iacet alba Pachynum,
Quæque Patris Rheni sinuosum nuper ad amnem,
Dum pacem indignam superis inhonestaque dam-
nat
Fœdera, frustra hominum testatus iura, Deumq́.
Quem si Sancta prius tribuissent numina terris,
Non toties luctu implesset Germania cælum,
Quòd trunca heu toties prouoluens busta, virùmq;
Cædę calens Albis glaciale resolueret æquor,
Tristiaque alberent inhumatis cladibus arua.
Non dulci patria extorres, inopesque Britanni
Errarent terras omnes; maria omnia circum,
Nec tàm bella diù premerent, bella impia Cretam,
Qua fatum Europæ pendet, nec inulta doleret
Ciuibus exhaustas Vrbes, cultoribus agros
Italia infelix priscos oblita triumphos.
Quin & Sarmatiam ferro quæ vastat, & igni
Barbara gens, rebusque nouis elata superbit,

Cede-

Cederet, ac versis dudum in contraria fatis,
Per bustum ardentis patriæ, perque ora cadentum
Natorum fuso lueret commissa cruore.
Dicite, vti tandem post hæc discrimina rerum,
Postque tot exhaustos pelago, terraque labores,
Romuleas iterum meritorum plenus ad arces
Venerit, haud mora, vix aderat, cum vidimus ipsi
Murice fulgentem Tyrio succedere curis
Iam senis Ægonis, rerumque assuescere habenis,
Donec ad imperij culmen fatale trahentes
Nicandrum superi sacrata in Sede locarunt.
Hæret adhuc animo haud obliuiscenda per æuum
Illa dies, quæ prima Virum mortalibus ægris
Sublimem Solio ostendit, cum pectore clausum
Spiraret Numen, vultuque immobilis alto
Diuideret sacra cęlestia munera dextra.
Hinc canitę, vt redeant nostris felicia siluis
Sæcula, & antiqui mores, vt copia pellat
Læta famem Latio, cælumque Astrea relinquat.
Vt, cogente Dea, tandem furor impius arma
Ponat, & agrestem gladij curuentur in vsum;
Quæque tulere diù patrio procul ab lare durum
Exilium tristes, inhonorataque Camoenæ,

 Ex-

Excutiant mœrorem animo, Phœboque canente,
Solennes ducant choreas per amœna vireta,
Rursus & incipiant Heroum dicere laudes.
Sic vbi tempestas nil tale timentibus aruis
Incubuit, stragemque dedit, si nubila cedant,
Si lenes redeant Zephyri, Solemque reducant,
Ridet ager, curuumque nemus se rursus in auras
Explicat, & sulco Seges inclinata resurgit.
Nec finite indictum, vt passim decora alta Latini
Nominis informes inter defossa ruinas
Erigat, vt priscum templis instauret honorem;
Vellat vt è nostris dumos, herbasque nocentes
Prouidus, & latas inducat montibus vmbras;
Vtque suas, Diuùmque sacras inscripserit ædes.
Nulli fas castum scelerato insistere limen.
Tempus erit, quo facta dehinc maiora canetis,
Cum, suadente illo, positis ciuilibus armis,
Cessabit tandem quod Gens Feronia bellum
Vpilia cum Gente gerit. Tùm tota repente
Tempestas belli Ionium descendet in æquor.
Tùm populum latè victorem, ac fata ferentem
Vltima, & Ægei rumpentem claustra profundi,
Quò meritas repetat pœnas, gentemque superbam
Ryphæas hyemes vltra, Tanaimque releget.
Palli-

Pallidus Odrysia spectabit ab arce Tyrannus.
Sic vbi longa fames aquilam, cædisque cupido
Acrior ad terram specula demisit ab alta,
Tùm qui se nouus ad solem circumspicit auro
Fulgentem viuo, squamisque recentibus anguis
Vicina condi properat sub rupe; sed illum
Improuisa super volucris venit, & premit vngue,
Nidorumque dolos, auiumque vlciscitur iras.
Tùm demum exuerit vinclis sese inclyta tellus
Diuini seruans monumentum, ac pignus amoris.
Tùm caput attollet Silois, Tibrimque parentem
Iordanes, iaculisque colet crinitus Orontes.
Tunc dulcem nobis longo post tempore tandem
Fas erit Arcadiam, lucosque reuisere sacros,
Taygetique nemus nigrum, fontesque Lycæi.
Nec minus Arctoo properat quæ littore Pallas
Romanum ad Tiberim Patribus spectanda Latinis,
Graiorum decora, & caras inuiset Athenas,
Frigus & ad sacri ripam captabit Ilissi.
Tùm mores hominum mitescent, tùm pecus omne
Vnum Pastorem, atque vnum cognoscet ouile.
At tu, Sancte Parens, *hominum celebrabere votis,*
Africa quà longè pluuium porrecta sub Austrum.

 Am-



Ambuſtum Oceani medijs caput inſerit vndis,
Quàque Caledonijs Thule pulſata procellis
Proſpicit ignotos curuo de littore fluctus.
Tale Mycon certare volentibus argumentum
Tradidit, hanc rerum ſeriem, quam deinde ſecuti
Tityrus, & Lycidas, nemorum plaudente corona,
Plurima ſub ſacra fuderunt carmina quercu,
Quæ tacito ſecum meditari examine mentem
Conuenit, vt melius referamus in ordine quicquid
Tityrus, & Lycidas ſacra cecinere ſub vmbra.

EIVSDEM

VT ad vireta Pindi ab Vrbe Romula
Bono profecta Fama venit alite,
Tenere ſceptra CHISIVM, nouem Deas
Comam ferunt ligaſſe fronde Delphica,
Eburneoque collo eburna barbitos
Vt alligata, conſtitiſſe protinus
Vbi perennis vnda prata diuidit
Odore læta graminum virentium.
Ibi decenter implicaſſe mutuas
Manus, pede impuliſſe & arua libero;
Ibi increpante pectine aureas fides

Diù

Diù negata condidiſſe carmina.
Dies beata ter quaterque, Vatibus
Canenda ſemper, & colenda gentibus,
Vetuſta ſæcla quæ reducis aurea,
Fidemque cum ſorore ab axe deuocas!
Vides, redux vt Africis ab areis
Latina iam reuiſat arua Copia,
Famemque pellat Africas ad areas?
Vt alma Pax neces, & arma ſubmouens
Graui cruenta bella compede alliget?
Tuo, beata lux, fauente numine
Loqui ecce rurſus antra, rurſus incipit
Tegi erudita latiore frondium
Virore ſilua, largiorque Pegaſi
Sonante riuus exilire ab vngula.
Vbi hæc dedere dicta, nona Virginum
Chorum iubet ſilere, & vna concinens
Lyram maritat altiore carmine.

Ergo inexpleto miſeras flagello
Diræ agunt gentes? piget heu ſiniſtram
Tamdiù ſortem doluiſſe, & orbis
Fata ruentis.
Vidimus campo Libitinam aperto
Huc equis illuc volitare nigris,

Quaque Gradiui soluisset ardor
Ossa legentem.
Decolor tabo Sicoris, Padusque
Testis, & ripa Thamesis cruenta,
Magnaque aduersus Thamesim resoluens
Ostia Rhenus.
Turbine hinc nostras Oriens citato
Acer in clades ruit, hinc auorum
Cimber vlcisci cupidus Latino
Sanguine manes.
Hinc leui frontem redimita culmo
It Fames circum, sequiturque Pallor
Tristis; & scisso pauidus capillo
Luctus euntem.
Sed per hæc ardens init astra Virtus,
O datum Europæ decus, & leuamen
Dulce, ALEXANDER, miserante fessas
Numine terras!
Monstra si tellus manibus negaßet
Herculis, magnus latuisset Heros,
Nec suo audißet resonare Tuscum
Nomine littus.
Tu bonæ fructus reuehes benignus
Pacis, & plenis Cererem maniplis;
Te sacrum doctæ Tiberim reuisunt

Vin-

Vindice Musæ.

Flectere insuetum tibi cerno victos
Poplitem Parthos, Arabasque fracto
Supplices arcu dare thura nostris
Mascula templis.

Nam coma latè viridante QVERCVS
Montis insedit iuga Vaticani,
Totum vt humanum genus hospitali
Protegat vmbra.

Vos ALEXANDRO gladium sequestro
Ponite, & motus animi calentes,
Iam satis cadis, cinerumque. ferro
Parcite Reges.

Cur in insontum male pertinaces
Vrbium casus acuuntur enses,
Iustius Thracum quibus imminentum
Turba periret?

Qui super campis glacialis oræ,
Italùmque aruis, pelagoque fusus
Barbaram sanguis potuisset omnem ex-
cindere gentem.

Iam pio tandem sociate fortes
Fœdere in Creten, Solymamque dextras.
Ite victores pia vota magno
Soluere busto.

Ite. Naupacti recubans in antro
Nuper auditus grauiore Triton
Præscius concha cecinisse fracti
Colla Tyranni.
Thraciæ vobis animæ fauentes
Carbasa in Syrtes inimica vertent:
CHISIVM sidus reget omne certa
Luce periclum.

EIVSDEM

Cleopatra in Hortis Vaticanis

A D

CHRISTINAM

Suecor. Gothor. Vand. Reginam Sapientissimam.

SI te spectaclum infelix, si tristia tangunt
Fata mea duro bene sculptę in marmore sortis,
O no-

O nostros dignata lares inuisere mundi
Cardine ab extremo, patria, regnoque relictis,
Regina, Heroum nulli virtute secunda,
Aurea quos olim tulit ætas, maxima Olympi
Numina cum humanos non dedignantia cœtus
Tecta frequentabant mortalia, castaque gentis
Pectora non falsæ complebant laudis amore;
Hùc ades. Illa ego sum Latijs celeberrima fastis
Femina. Nosti angues, animumque in morte ferocem.
Quò properas? Saltem alloquio solare dolentem
Reginam Regina; nec est indigna videri
Forma loci, & sacris regio gratissima Musis,
Quæ nemus hoc, fontesque colunt, iugaque alta, viretis
Cyrrha posthabitis, & verticibus Parnassi.
Hìc vbi Graiorum artificum miranda videbis
Signa antiqua, tuæ gentis quibus ira pepercit,
Abstinuitque manus artem mirata vetustas.
Vt de me sileam, viden' hos, qui robore multo
Luctantem, ingratosque Deos, arasque vocantem
Arrecti miserum spiris ingentibus hydri
Laocoonta ligant? vt anhelat! vt ore supremum
Ingemit! vt socios implorat, opemque propinqui
Herculis! Ipse quidem casum dolet, & cupit angues

Elisisse manu, ac primos iterare labores
Phidiacus labor Alcides; sedenim aspera Iuno
Heroa immeritum dum grandine pulsat, & imbri,
Non tantùm orbauit claua, exuuijsque Leonis,
Verùm & poplitibus neruos, humerisque torosa
Brachia diuellit, fecitque ex Hercule monstrum
Informe, ignaræque (nefas) ludibria turbæ.
Ast illum informem licet, & sine nomine truncum
Miratum huc Ararim veniunt, Rhenumque bibentes,
Et viuos illinc discunt effingere vultus.
Cętera quid memorem? Nilum, Tibrimque parentem
Spirantes docto in silice, Eridanumque, Tagumq;
Natiuo fulgentem aruo, Gangemque superbum
Eois opibus, quos omnes dædala, & ipsi
Æmula Naturę finxit manus? hìc habitant Dij.
Aurato hìc Phœbus percurrit pectine chordas;
Hic gelidam fundit proles Semeleia lympham,
Pocula, delitiasque tuas; hìc otia degunt.
Mercuriusque, minaxque rubenti casside Mauors,
Et magni Æneæ genitrix, & candida Phœbe,
Omnes aut Diui, aut Diuùm genus, vnaq; deerat,
Quam studijs, vultuque refers, factisque, Minerua.

Hùc

Hùc & ALEXANDER (Fabium tunc nomine dici
Audieram) indocti fugeret cum murmura vulgi,
Nobiliumque manus iuuenum comitata solebant
Ferre pedem, hìc tristes animo deponere curas
Dulcia securæ ducentes gaudia mentis.
Vidi ego, & in cubitum surrexi oblita doloris,
Inceßumque Viri *obseruans, & lumina dixi.*
Aut Babylon ignara futuri; aut hic erit, hic Vir,
Olim qui Latiam regnando restituat rem,
Quì veteres artes, & sæcula prisca reducat,
Iratasque pio componat fœdere gentes,
Quamquam animi flecti indociles, & vulnera tactu
Crudescant, medicamque manum impacata recusent.
Quò properas? ne, Diua, oculis te subtrahe nostris.
Namque ego te rerum seriem, euentusque docebo,
Quì super Heroum sedes, super æthera tollent
Nomen ALEXANDRI, sub mortem plurima quando,
Et longè faciem venientis cernimus ęui.
An te proxima silua trahit, studiumque ferarum?
Non ibi toruus aper, non duris vnguibus vrsi,

Quos

Quos iaculo cecidiße tuo ſępe horruit Arctos
Vtraque , ſed cerui imbelles, capręque fugaces
Pictarumque cohors non inuadenda volucrum.
Quin etiam caſus, & mors ingloria ab altis
Imminet arboribus : nam quę nux pinea curuo
Strata iacet campo , Satyros quam ludere circùm,
Metirique vides thyrſo , ſua ab arbore nuper
Decidit , & magno tellurem perculit ictu.
Adde, quod incluſus Boreas, Euruſque, Notuſque,
Et quotquot ſęuis agitant plangoribus ęquor
Illa turre fremunt euerſuri omnia latè ;
Quamuis ſub tanto cohiberi Principe venti
Non indignentur, veniantque ad iuſſa volentes,
Iamque parent iterum Scythicas illidere puppes
Leucatę , ah diram Leucatam & conſcia luctus
Saxa mei ! heu dolor, heu cladis monumenta ne-
fandę !



BER-

BERNARDI
ROTTENDORFFII
MONASTERIENSIS
Medici Cæsarei.

Epigramma

F*Eßa malis, fatumque timens Europa supremum,*
Dicitur hac supplex voce rogasse Deum.
Quæ tulerim mala, quæque feram, Pater optime, cernis,
Quodq; Arctoa parent, Thraciaq; arma nefas.
Nec te Ciuiles furiæ, nec te impia gentis
Facta latent templis insidiosa tuis.
Quam dabis heu requiem miseræ? quæ meta laborum?
An tua in hoc semper detonet ira caput?
Cui Deus. I felix, finemque impone querelis.
Mox rerum accipiet CHISIVS Imperium.

FER-

BERNARDI
ROTTENDORFFII
MONASTERIENSIS
Medici Cæsarei.

Epigramma

F*Eßa malis, fatumque timens Europa supremum,*
Dicitur hac supplex voce rogasse Deum.
Quæ tulerim mala, quæque feram, Pater optime, cernis,
Quodq́; Arctoa parent, Thraciaq́; arma nefas.
Nec te Ciuiles furiæ, nec te impia gentis
Facta latent templis insidiosa tuis.
Quam dabis heu requiem miseræ? quæ meta laborum?
An tua in hoc semper detonet ira caput?
Cui Deus. I felix, finemque impone querelis.
Mox rerum accipiet CHISIVS Imperium.

FER-

FERDINANDI

FVRSTENBERGII

S. D. N.

Cubicularij intimi.

E L E G I A.



HVnc cecinisse diem, venturi præscius æui,
Dicitur Aonias inter Apollo Deas:
Hunc fore, neglectas quo gloria tolleret artes,
Et faceret doctis vatibus ingenium.
Certa fides. En sorte datas amplexus habenas
Orbis ALEXANDER præsidet imperio.
Iam velut exactæ post tristia frigora brumæ,
Purpureo vernus cum nitet ore dies,

Ri-

Ridet humus, ridet Zephyris ſpirantibus æther
Purus, & arguta dulce queruntur aues;
Exultare nouo ſic Principe vidimus Vrbem,
Et quot regna vagus circuit Oceanus.
Vidimus excitas Parnaſſi monte ſorores
Aurea deſuetæ tendere fila Lyræ:
Et Vaticani circum delubra volantem
Lætitiam feſtos inſtituiſſe choros.
Vidimus Auſonios, genus immortale, poëtas
Ambroſias ſacra fronde ligare comas;
Et lætas populi voces, nec falſa Quiritum
Gaudia Mœonijs concinuiſſe modis.
Quod ſi Caſtalia nobis dictaret in vmbra
Grandia Romani carmina Callimachi,
Et laudum ſoluenda ſono, Pater alme, *tuarum*
Cynthius Aſcræis ora rigaret aquis;
Non ego, ceù quondam meditabar, facta parentũ,
Non fultam titulis, diuitijſque domum;
Non maris Hetruſci ſeruantem littora portum
Herculeum, proauis inclyta regna tuis;
Non canerem bello claros Heroas, & altis
Adſcriptos ſuperum ſedibus indigetes:
Non quæ porticibus miramur nixa ſuperbis
Surgere Dædalea condita tecta manu:
Nec quas maiorum pietas Cœleſtibus aras
Struxit

Struxit Apelleis conspicuas tabulis:
Sed Te *, qui titulos tantum præcedis auitos,*
Quantum nocturnas Cynthia plena faces.
Et tua non humili memorarem nomina cantu
Extremas vltrà Solis itura vias;
Quà leuat Eoo rutilantem gurgite currum,
Et quà poscentes otia mergit equos.
Nam licèt intactos mores, & quas rudis ætas
Virtutes teneris duxit ab vberibus;
Cultaquè Pierijs iuuenilia tempora Musis
Transirem, numeris iàm celebrata meis:
Non tamen exhaustos possem reticere labores,
Quà Padus obiectis æstuat aggeribus.
Quà centum populos, centum Ferraria sospes
Debet consilijs oppida salua tuis.
Seù vicina fremunt irati Cæsaris arma,
Et ruit aduersos Mantua passa Deos.
Seù propiora mouens Venetus discrimina miles
Instruit Hadriacas ad noua bella rates:
Seù latè grassata lues, & turpis egestas
Indicunt miseris vrbibus exilium:
Seù pater Eridanus campis immissus apertis
Deucalioneæ damna minatur aquæ.
Ille idem assiduis Cycni plangoribus, idem
Certauit mœstis Heliadum lacrimis,

Cùm

Cùm patriæ fines, & rectas legibus vrbes
Linquentem ripis vidit abire suis;
Et Libycos tentare sinus, vbi classibus audax
Insula Threïcias depopulatur opes.
Europæquè suæ custos, delecta iuuentus,
Tutatur medij credita claustra maris.
Non secùs Italiæ Cimbro natura minanti
Debuit Alpinas opposuisse niues.
Non secùs occiduis inhiantem finibus Afrum
Herculis obiectis meta coërcet aquis.
At quotiès Melitæ fortes hortatus alumnos,
Impuleris nulla vellere signa mora,
Et Solymæ colles, Asiæquè reposcere regna,
Sceptraquè Bistoniæ frangere barbariæ,
Testis Neptunus, testis mihi Tethys, & omnis
Nereïdum culta cærula turba coma;
Non audita semèl partos cantare triumphos,
Et tua cognatis facta referre Deis.
Me decet Arctoo spumantem sanguine Rhenum
Dicere, nec patriæ bella silere meæ.
Infelix tellus, Romana clade tumentis
Arminij quondam signa secuta ducis,
Soluit adhùc pœnas, duris exercita fatis,
Læsaquè præsentem numina poscit opem.
I celer, instantem capiti defende ruinam;

I ce-

I celer, & longa vince pericla via.
Nec te Sicanij remorentur murmura ponti,
Nec formidata nauibus insidiæ;
Non rigor Alpinus, non horrida saxa perennì
Frigore, non duro flumina vincta gelu;
Quin Vbios, domina missum genus Vrbe, colonos,
Et veteres adeas impiger Vsipetas,
Et quos prætereà populos hinc Luppia nostris
Cædibus infecta decolor ambit aqua.
Illinc bellipotens olim ditione premebat
Accola vicini Bructerus Amisij.
Nunc vbi conuentu mundi coiere vocato
Discordes studijs consilijsquè Patres,
Et res Europę fractas ciuilibus armis
Imponunt humeris publica vota tuis.
Auspicijs Pax freta bonis, hìc mitis oliuę
Prętendit meritis serta ferenda comis.
Visa quieturis demùm promittere terris
Aurea sopitis secula dissidijs.
Hìc etiàm Veledam, qua nec Cumęa sacerdos,
Nec diuina fuit notior Herophile,
Te veniente, ferunt iterum de turre locutam
Fatidico tales ore dedisse sonos:
Lętus ades, fesse bellis ingentibus, Heros,
Spes patrię, priscis gloria maior auis.
Latus

Lætus ades, coetus nec dedigneris amicos,
Et mea securo visere regna pede.
Non iterùm clades animo versamus, & iras,
Armaquè Quintilios vincere docta tuos.
Qualis ad Assyrias immani funere Carras
Romanus Partho fusus ab hoste iacet.
Nulla salus bello, pacem deposcimus omnes;
Pax veniat, populis sæpè vocata meis.
Sed nisi me Phœbi ludunt oracula, quondàm
Quæ cecinit nostro conscius ore Deus,
Pax erit: at sacris tàm detestanda Latinis,
Quàm malè mercata Pax coitura fide.
Non ideò curasquè graues, & iusta precantis
Vota, prement monitis fata sinistra tuis.
Quin etiàm meritos Latialis purpura crines
Vestiet, ac reduci præmia digna feret.
Cùm te custodem Cœloquè Ereboquè verendum
Accipiet rerum maxima Roma caput:
Et pia laturus sacratis oscula plantis
Orbis adoratos procidet ante pedes.
Tunc Septem imperio quæ nunc Christina Triones
Franat, & Arctoas ducit in arma manus,
Adueniet supplex, & Vaticana tenentem
Regna colet prono deuenerata genu.
Tunc consanguinei longo pòst tempore Reges

C Arbi-

Arbitrio ponent impia bella tuo.
Et pacti stabilem iurato fœdere pacem
Damnabunt lites, & graue Martis opus.
Aruaquè læta Ceres, & pleno Copia cornu
Dona ferens, niueis oppida viset equis.
Mòx vbi collisas repararint otia vires
Terrarum, sacra Mars canet arma tuba.
Arma recrudescent Naupacti, & barbara Thracū
Gaza per Ionias sparsa natabit aquas.
Quas ego nunc acies video? quos æquora remos
Verrere? quàm latis vela tumere Notis?
Quantus sudor adest populis? quæ gloria Cretæ
Auxilio fortem concitat Italiam?
Quàm poscunt Solymæ reduces in prælia Gallos!
Quàm tremit Austriacas pallidus Ister opes!
An Te *etiàm auspicijs tollentem signa secundis*
Magne Parens, *alacres sollicitare duces,*
Et detestandas Asiæ conuellere Lunas
Intrepidum, toto cerno volare mari?
Sed tibi nè pugnę veniat tàm pulcra cupido:
Bella gerant alij, tu prece bella iuua.
Intereà domito Reges Oriente superbi
Portabunt votis parta trophęa tuis.
Et Vaticanas Victoria figet ad aras
Dereptas Scythicis postibus exuuias.

Tunc

Tunc aliquis Vates, procerum de ſtirpe meorum,
Cantabit famę tot monumenta tuę.
Bellaquè ſignabit titulis: Hæc Thrace ſubacto
Victor ALEXANDER rettulit arma Deo.



EIVSDEM

HENDECASYLLABI

In

S. D. N.

Auſpicatiſſimum Natalem, iam olim ſcripti.



INgens gloria purpurę Latinę,
Phoebi delicium, medulla Suadę,
Sacrorum Cynoſura certa vatum,
Paullùm, magne FABI, graues labores
Alti pectoris, ardu ęque Romę
Fultum conſilijs remitte pondus.
Et noſtris ſolito fauore Muſis
Aſpira facilem ſecundus auram.

Dum

Dum natalitias sacrare cantu
Idus Hendecasyllabi laborant.
Quos duros licet, ac parum politos
Leui pumice, dædalaque lima,
Vt blando tamen in sinu receptos
Illa fronte legas, precamur, illa,
Qua Septem iuga, purpuramque Romę
Et curas Latij Patris serenas,
Et nostri rapis ingeni calorem.
Vestris nunc opus est choris, venite
Suaues Lætitię, venite Plausus,
Cantus, Gaudia, Gratię, Camœnę,
Festiuo Genium vocate ludo,
Et sertis, & odoribus Sabęis,
Et natalitijs adeste sacris,
Faustis ominibus, bonisque verbis.
Solennem Februarij reduxit
Quinquagesima sexta *bruma lucem:*
Natales FABII canamus Idus:
Idus tot maris Indici lapillis
Signandas, quot hyems creat pruinas,
Quot ver purpureum per arua flores.
Quot votis celebrauit, & coronis
Natalem Venusina Musa lucem
Mecœnatis agens, Aprilis Idus,

Quot votis cumulauit, & coronis
Idus, Mercurij diem, vetuſtas
Maio ſidere, nobileſque partu
Octobres coluit Maronis Idus.
Ergo cum ſuperas beatus infans
Natus Chiſiades, *futurus Heros,*
Blando murmure perſonaret auras,
Vagitus tener, ac rudes querelæ
Commiſſæ Zephyris, procul remotas
Parnaſſi geminis nouem Camœnas
Exciuere iugis, Claroque Phœbum,
Et Pandionis arcibus Mineruam.
Illæ Pegaſeos repente fontes
Liquerunt, & Hyanthias cauernas,
Et Pindi virides tulere lauros,
Et molles violas, roſæque florem,
Paruis munera delicata cunis.
Princeps Calliope labella primùm
Permulſit tribus oſculis puelli,
Et vatum ſimul entheos furores
Afflauit, teneroſque fronde crines
Cinxit Daphnide, Bacchiciſque ſertis;
Noſtris Orphea gratulata terris
Dono Cœlituum nouo renatum.
Hinc fati quoque conſciæ ſorores

Arri-

Arrisere Deę, lyramque Pæan
Donauit puero; puer iocosus
Arreptas digito fides procaci
Prensauit, fidium daturus omen.
Vt quondam dedit Hercules tenellus
Omen roboris anguibus peremptis.
Tunc amplexa tenacibus lacertis
Mellitum stupet vndecunque Pallas
Infantem, cerebrumque mollicellum
Implet Numinis, ac suas oliuas
Pacis pręmia subligat corymbis.
Adsunt, & comitum trahunt cateruas,
Linquentes Ciceronis ęuiterni
Pictum veris honoribus sepulcrum,
(Quo fixere domum) diserta Pitho,
Facundus Lepor, aureumque nodum
Segnes soluere Gratię sodales,
Iucundique Sales, & elegantes
Doctarum facies Facetiarum.
Quæ postquam niueam ligustra nubem
Fuderunt beneolentibus canistris,
Et felicibus irrigata succis
Sacri nectaris ora miscuerunt.
Quales Cecropij Platonis olim
Quales gutture Pindari canoro

Quales Ambrosijs apes labellis
Matres ambrosię leues crearunt.
Dilectis etiam redux ab astris
Virtus remige venit vsa cycno,
Quæ faustos simul augurata soles
Et primo similes dies metallo
Promisit puero, faces honesti
Admouit, niuibusque concolorem
Puris moribus indidit nitorem.
Quin & sidereus Pudor modesta
Viuo murice temperauit ora;
Et castos Amor innocens ocellos
Accendit radijs ab axe raptis,
Et Clementia nubibus remotis
Frontem finxit amabilem videri.
At custos animum fidelis omnem
Munit Relligio timore diuum;
Et contra mala, liuidamque sortem
Constans ęgide Fortitudo pectus.
Tali Chisiacas *honore cunas*
Dignatos superum choros frequentum
Actutùm varię vię reportant.
Virtutes patrium *petunt* Olympum,
Et quà se tenues leuant per auras,
Aurę deciduis pluunt ligustris,

Nar-

Narcissisque, rosisque, liliisque;
Cyrrham Pierides, Claron reuisit
Musarum pater, Atticas Athenas
Pallas, Suada suam diserta sedem.
Gratantur redeuntibus Napeę,
Occurrunt Dryades, leuesque Fauni.
Tellus luteolas benigna calthas
Submittit, violasque, amaracosque.
Mitescit positis furor procellis
Tyrrheni maris, Africis fugatis
In regnum lepidę Fauoniorum
Succedunt animę beatiorum,
Et solę dominantur axę toto.
Lętas interea virere ripas
Vernis floribus, ac rosis caducis
Spargi flumina, leniterque motas
Admiratus aquas tepere blandis
Aurarum Zephyritidum susurris
Vmbro *populea caput corona*
Vmbratum placidis leuauit vndis.
Quando supposita reclinis vrna,
Muscosum latus hinc & inde Nymphis
Circumstantibus, Orciaque, & Assa,
Et Mersa, & Soro, & Arbia, & Malena.
Limum sordibus abluit, iacentem

Men-

Mento canitiem manu remulcens,
Et sic pura luti resoluit ora.
Ergo pollicitam benigna fata
Inuenere viam, sagax futuri
Quæ Proteus mihi cærulus solebat
Nostris pandere gratus hospes antris?
Ergo iam genitus beatus infans,
Idibus Feb.an. 1599. Senis in Hetruria natus parentibus Flauio Chisio & Laura Marsilia.
Infans Chisiades, *recens Hetruscæ*
Gentis delicium, decusque Senę
Expectatus adest? adest petitus?
Sic est: prodigio rigentis anni
Venturę manifesta signa sortis
Soluunt ambiguam timore mentem.
O felix nimis! ò beata tellus!
Nullis vrbibus, & secunda nullis
Tanto Ciue futura Sena terris!
Felix Chisiadum *domus parentum!*
Summorum genitrix domus virorum!
Quamuis imperio maris potentes
Portus Herculeos, *Cosæ ruinis*
Vicinos Lepidi fuga notatis;
Et quondam moderata Macereti
Arces turrigeras, genus vetustum
Iactes nobilium Ranutiorum.
Quamuis perpetuum decus nepotum,
Illu-

Illuſtres animas , pioſque Ianos
Tuſci nobile germen Iliceti .
Auguſtos *celebres amore vatum ,*
Anſelmos, Marioſque , Flauioſque
Armis conſpicuos , toga verendos .
Iactes & columen Iugis *auitis*
Et Stellis *iubar additum coruſcis*
Quercum robore Iulio *ſuperbam .*
Maiorem tibi comparabit vnus
Famam Chiſiades , *& ille quondam*
Inter ſemideos erit Latinos .
Poſtquam dulcibus expeditus vlnis
Matris Marſiliæ , *ſolum paternum*
Signabit pede iam timente falli ,
Ingreſſus duce ſemitam fideli ,
(Quam ſudoribus improbis madentem
Virtutis labor Herculi ſequendam
Monſtrauit teneris adhuc in annis .)
Tentabit ſubito vireta Cyrrhæ ,
Et rupes Heliconias, & vmbras
Doctę Phocidos, Atticoſque lucos ,
Et ſacros Academiæ receſſus .
Cum luſtris adoleuerit duobus
Viuax ingenij ſagacis ardor ,
Ætatem culicis Maroniani

Domeſticis vſus præceptoribus in Poeſi & politiori bus literis.

Ictu

Ictu fulminis ocyor trisulci,
Vnda fluminis ocyor citati,
Præuertet, memorique digna cedro
Vates carmina finget, & seueræ
Maturus sapientię satelles
Discet Socraticas puellus artes.
Multum Phillyridæ datus magistro
Pelides, & Olympicæ quadrigæ
Debent plausibus, & citantis axem
Aurigę stimulis: at ille solo
Natiui celer impetu caloris
Fontes sponte sua petet beatos
Pulcrarum cupidus scientiarum.
Donec Pierias valere curas
Longis excubijs, & ægra doctis
Musarum studijs salus iubebit.
Sic quæ diuitis Indiæ potentes
Thesauros rapit, ac latus sinistrum
Præbet continuis sali procellis,
Ventorumque minis, nec vlla vitat
Audax naufragi pericla ponti,
Tandem mergitur, aut fatiscit alnus
Siluæ filia nobilis vetustę,
Securis nisi portubus potita
Quassatum reparet quiete malum.

Duodecim an. natus priuatos inter parietes Philosophicas theses defendit.

Proxime sequenti bus duobus an. vacare cogitur à studijs stomachi imbecillitate laborans interea recolit Philosophiæ, hu-

Tum

Tum post otia latiore cursu
Ipsos ausa volare præter Euros
Ad nostras peregrina dona ripas
Sospes deuehit vltimis ab oris.
Quare viribus integer receptis,
Sancto pectora concitatus œstro
Viset limina consecrata magno
Olim siderea Parentis ortu,
Picenis vbi collibus resedit
Laureti domus, Adriæ per vndas
Illuc vecta, pijs onus cateruis
Cœlestum subeuntibus Quiritum.
Iam nunc impatiens latere clausus
Priuato lare, publicas palæstras
Stagiræ, cathedrasque, porticusque,
Et sacraria maximi Platonis
Sublimis vigor ingeni requiret.
Hic quicquid polus ambitu sereno,
Et tellus gremio, Thetis profundo,
Et natura sinu fouet capaci,
Argutę rationis in statera
Scrutatum penitus, magistra recti
Augustis penetralibus clientem
Admittet Themis, imperique formam
Et decreta docebit æqua legum.

manio- rumque literarũ disciplinas.

Decimo sexto ætatis anno voti reus Lauretanum iter suscepit.

Viginti annos natus & expleto studij quinquennio Senis publicas Philosophiæ theses proponit & defendit

Seù

Vnum & viginti an. natus publicas de iure ciuili theses tuetur & an. 1623. tã iuris quã Philosophiæ doctor renunciatur Senis.

Septem & viginti an. natus, de vniuersa Theologia publicè Senis disputat, & doctoris lauream meretur nec non an. 1626 triũ facultatum collegio adscribitur.

Seù quæ Cecropijs Solon Athenis;
Et Spartę rigidus tulit Lycurgus,
Seu iustus Numa gentibus Latinis
Et bis sex tabulæ Decemuirorum:
Seu quę Romuleę verendus Vrbis
Antistes dedit, inclytusque Cæsar
Immensi dominator altus orbis.
Hinc desiderij ferente penna
Audaci altius Icari volatu:
Pernicem rapiet sub astra mentem
Diuinę Sophię sagax Aquinas,
Et velata fides, & alma cœli
Maiestas superas recludet arces,
Et sese dabit, ac Deum videndum,
Et puram sine nube veritatem.
Tandem promeritos virente crines
Serto triplicis impedire lauri
Certabunt Themis, & seuera Pallas
Et de Numine disserens supremo
Cælestis sapientię facultas.
Sic donis sibi debitis potitus
Magnarum nouus artium Senator
Augustum patrię reget Lycęum.
Mox Sena procul impiger relicta,
Qualis fulua Iouis Tonantis ales

Nido

Nido migrat, & experitur astris
Dignam testibus indolem parentis,
Antiquę cupiet Theatra Romę
Et mundì dominos videre colles.
O quę gloria! quanta surget illic
Claro Chisiadæ *seges laborum!*
Nobis tanta nefas canendo famę
Incrementa sequi, vetante Proteo,
Quæ cautus monuit tacenda vates,
Et iam me soliti vocant labores,
Et vos, Naiades, citant liquores.
Hæc Nymphis pater elocutus Vmbro
Tuscorum decus amnium, tumenti
Sese spumeus alueo recondit.
Tunc lęuo tonuit ter axe cæli
Fatis addere visus auspicatis
Dextram Iuppiter approbationem.
Quali murmure siderum frementum
Tuscus sæpe suam probauit artem
Dilectus superis Tages aruspex.
Nec præsagia posteris in annis
Veri certa fides Deum fefellit.
Dum nos grandibus æmulos poëtis
Musarum Iuuenilium *labores*
Miramur, Lyricique vatis auram,
Et

Anno 1616. Romam venit.

Et dignum tragico pedem cothurno.
Seù primo ceciniſſe doctus ęuo
Pompei lacrimabilem perempti
Fortunam, Pharij ſcelus Canopi
Damnauit pius, ac truces Achillæ
Periuri furias, miſertus æquam
Ingentis Generi labare cauſam,
Quæ ſit victa licet, Catone magno
Et ſe vindice non tuetur vno.
Seù iuſti nimis impotens doloris
Lethum nobile, Martiamque dextram
Luxit Marſilij gemente plectro,
Dum fortis cadit hoſtium ruentum
Inter funera, prodiguſque vitæ
Pulcro ſanguine decolorat æquor.
Seù notum Canis æſtuantis aſtro
Trituræ genus, & modos Hetruſcæ
Cantauit, Cereriſque ſerta lauro
Vates nexuit, & ſiticuloſam
Æſtatem Clarijs rigauit vndis,
O rus, ò nemus, ò beata Tempe!
Villæ, iugera dulcis Ancarani,
Iucundis loca Tuſculi viretis,
Vdo Tybure, Formijs amœnis,
Et blandis mage delicata Baijs.

Ancaranum Chiſiorũ villa amœniſſima non

Vi-

Vicinæ nimis inuidenda Senæ.
Vitauit quoties negotiosæ
Vrbis mœnia, carminumque fætus
Frondosis ibi Chisius *sub umbris*
Obstetricibus edidit Camœnis.

procul ab vrbe Senarũ opportunus Musarum secessus, vbi admodum adolescẽs Pompeiũ Tragædiã scripsit.

At quis sufficiat referre plausus
Famę præmia, publicasque laudes
Quas docti tulit ingeni? paterno
Deserto lare, cum profectus omnem
Ignoto rapuit stupore Romam
Præsens Chisiades, *& eloquente*
Cantu plus vice simplici moratus
Oblitum Tiberim viæ prioris,
Alcides nouus aureis catenis.
Tuscorum simul Ausonumque Suadæ
Sacro muricę fulgidum Senatum,
Et subsellia traxit alta vatum,
Vocalis quibus Humor *Hippocrenes*
Largæ nomina fecit apta venæ.
Idem Sulpitios, & Vlpianos
Et Paullos imitatus, & Catones
Cum responsa dedit, fori querelas
Expertus tetricas, grauesque caussas
Orauit, Latiæ datus sacerdos
Astrææ, veterum patere legum

Anno 1619. mense

 Nodos

Ianuario vtriusq; Signaturæ factus est Referendarius.

Nodos difficiles, & inuolutos
Laudauit Themis, & Rigor seuerus,
Et Iuris comites Fides, & Æquum,
Et Fas, iudicis aut sui patroni
Stiparunt latus, integramque dextram
Fugerunt auidi cupido lucri,
Turpes Insidiæ, malæque Lites,
Et Fraus, & faciles emi Fauores.
Sic postquam teneris adulta virtus
Annis Chisiadæ *dedit futuris*
Omen laudibus, arduisque curis
Prælusit grauium negotiorum
Astrææ studijs, & arte Phœbi.

Idibus Feb. sex & treceenti ex Fabijs Veienti prælio interempti. teste Ouid. l. II. Fast.

Turritum caput altius leuauit
Septem collibus, & fauente nutu
Latis plaudere visa Roma fatis,
Nec mœstas Cremeræ tumentis vndas,
Nec Veios meminit dolens, & Vno
Felices FABIO vocauit Idus
Fatalem FABIIS diem Trecentis.


FRAN-

FRANCISCI BRIVII
S. I.

Epigramma.

ALEXANDER
SEPTIMVS

Se, dixit, eueẛtum fuiſſe ad Pontificatum, nihil petendo, nihil recuſando.



NVlla petens nullam patitur, queriturque repulſam;
Nulla recuſantem gratia nulla fugit.
Stultitia Cœlum petitur perſæpe rogando;
Sæpe recuſando panditur ambitio.

Nescimus cupidi, quid nos à Rege petamus;
Grande malum est, Regis vel leue nolle bonum.
Tu nihil ergo petas, pro te petat vnica virtus;
Atque vt possideas omnia, temne nihil.
CHISIVS hac bonus arte petens nil, nilque recusans,
Omnium ALEXANDER *voce petitus adest.*



FRAN-

FRANCISCI LVCIDI.

ODE.



APrilis Idus, mensium omnium optimi,
Saluete nobis plurimum.
Tu Septime ante cæteros pulcher dies
Salue. Lapillo posteri
Te olim notabunt candido, & Saliarium
Ritu canent hinc integræ
Virgunculæ, illinc & puelluli integri,
Ducent choreas cum leues.
Non auspicatior generi hominum dies,
Diuina post cunabula,
Illuxit alter, Orbe Cimmerijs (nefas)
Squallente tenebris iam diu,
Scelesta habendi quas cupido inuexerat.

Quadriga eadem Septimum
Tu tecum ALEXANDRVM bono omine aduehis:
Solem vt reducit Lucifer,
Terramque lustrat Ida ab alta Gnossiam.
Ille, ille votis omnium
Olim expetitus, ac prece à Diuum Patre,
Adest bonus iam Pontifex.
Ergo Sodales ter quater terram pede
Pulsemus omnes lubrico.
Ducamus haustus ore largo Massicos,
Rosis reuincti tempora,
Aprilis idem, Mensium omnium optimus,
Quas rore nuper vitreo
Fudit madentes Pasti in ipsis hortulis.
At vos lues mortalium
Bellum cruentum, semper & inhians fames,
Quæ exercuistis nos diù;
Abire propere vos ALEXANDER iubet,
Vestramque prorsus in vicem
Redire florentem artibus pacem bonis,
Cornuque pleno copiam
Qui temperatis maria, terras, aëra
Tutela Dij Quiritium
Seruate Romæ nunc ALEXANDRVM, sui
Felicitatem sæculi

EIVS-


EIVSDEM

In

S. D. N.

Augustissimum Natalem.

ELEGIA.



Felices, faustasque refert Februarius Idus.
Huc agite, ò pueri, cingite frnde comas,
Et mecum ante aram, viridi de cespite nuper
Quam statui; festis ludite carminibus.
Ter circum agnus eat sublimis cornibus aureis:
Ter mola conspergat cornua, terque merum.

Orbi nulla dies toto fulgentior anno.
Nulla dies prodit gratior Oceano.
Lux hæc natalis Fabij, *quem* Iulia *quondam*
Sena *tulit claro è sanguine* Chisiadum,
Chisiadum, *tantum queis nunc tu* Sena *superbis;*
Quantum Roma suis Martia Scipiadis.
Quid dicam Proauos, armisque, auroque potentes?
Quid memorem ductas sidera ad alta domos?
Quid structas aras superis? quid candida multo
Marmore, & auratis templa superba tholis?
Impositas scopulis arces, quas cærula pulsant
Æquora, Tyrrheni claustra timenda maris?
Poßessas atauis arces, non vilia regna?
Gestaque ciuili munera multa manu?
Hic primum Musis operatus, & arte Mineruæ
Insignis, magno claruit ingenio.
Publica mox cordi res illi, curaque sola.
Non sibi, sed multis credidit eße satum.
Dicamne, vt sellam conscenderit ante curulem?
Iusque in Romano dixerit ante foro;
Quam Melite decreta illi Prouincia, ponto
Insula quæ in medio cernit vtramque Thetin?
Scilicet hinc Libyco canescunt littora fluctu:
Illinc & Siculi perstrepit vnda freti.

Quam

Quam latìs illi diues Ferraria campis
Credita, & insani vasta fluenta Padi?
Vt Rheni ad ripas plures consederit annos,
Tutatur summi dum pia iura Patris?
Iungere perpetuo magnos dum fœdere Reges
Conatur vitæ plus probitate sua;
Quam lingua: illa licet dulci sit nectare multo
Perfusa, illustrì regnet & eloquio:
Quo mollire feras, quo posset & aspera saxa
Cogere natìuam ponere duritiem?
Aula illum vt tandem Romano ornauerit ostro?
Vsque adeo meritìs inuia nulla via est;
I puer, & sacros ventosis follibus ignes
Suscita, & Assyrio sparge liquore domum.
Interea niueas inter delecte bibentes;
Agnus, deuoto sanguine tinge focos.
En Natalis adest, vìden, vt velamine pulcro
Inductus, Tyrìo syrmate verrat humum?
Huc formose veni: lætum tibi tota renidet
Festa fronde domus, fumat & ara tibi.
Thura tibi plenis Panchæa cremantur acerris.
Expectate veni, terque vocate veni,
Has tibi mansuras per sæcula ponimus aras.
Namque vocaturì secula multa sumus.
Tu Fabium *dias fudisti in luminis oras*

Quon-

Quondam felici sidere Chisiadem.
Quo cum prisca fides, pietas, atque alma reuisit
Pax terras, plena & copia diuitijs
Qui foret afflictis solamen denique rebus,
Et caperet sacra sceptra verenda manu.
Sceptra tremunt ipsi quæ manes, infera regna;
Sceptra, quibus præsens annuit ipse Deus.
At quis nunc agitat mentem furor? en feror vltra
Terrarum fines, sideraque alta peto.
Hinc Natalis abi. melioribus vtimur horis.
Qualem vnquam Phœbus non tulit ipse diem.
Hinc Natalis abi. positas euertimus aras.
Pœnitet huc falsos voce ciere Deos.
Tu potius, qui corda hominum replere piorum
Spiritus alme soles, ter venerate veni.
Et si non humiles piget aras visere, quas nunc
Ponimus in nostro pectore, Sancte veni.
Florem hominum Fabium *terris hac luce dedisti,*
Vt foret erranti lux noua, recta via.
Florem hominum Fabium *solio dein Diue locasti*
Vnde ille & terras prospicit, & maria.
Vnde ille Europę miseratus vulnera nostrę,
Applicat his medicas, sollicitasque manus.
Imperio cuius probitas, pudor exul, & artes
Ingenuæ referunt ad sua tecta pedem.

Sa-

Sacra ministeria, & Sanctorum altaria Diuum,
Squallore exuto, splendidiora nitent.
Maxime ALEXANDER, *rerum dum sumis habenas;*
Ferrea quæ fuerant, aurea secla facis.
Vrbs tua Niliacis segetes non inuidet aruis.
Horrea rumpuntur, si sterilescit ager?
Priscę olim excussa prandebant ilice gentes,
Triticea cum omnis messe careret humus.
At postquam inuento terram versauit aratro,
Et semen sulcis credidit alma Ceres;
Immundos pauere sues querceta per arua,
Et meliorem homini rura dedere cibum.
Sit sua laus Cereri, maior tua, **Septime**, ***laus est:***
Repperit illa olim tritica: das tu hodie.
Vidimus hinc Reges placitis, sceptrisque relictis,
Illius ad sacros procubuisse pedes.
Te dare suppliciter felicibus oscula plantis
Vidimus, & lacrymis ora rigare pijs;
Arctoi Regina soli Christina *potentum*
Progenies Regum, cui Tybris ipse pater
Muscoso ex antro adsurgit, quam non videt alta
Roma *triumphatam, sed colit vt Dominam.*
Vt Pater oppositas tandem perrumperet Alpes,
Ita-

Italiamque suo subderet Imperio;
Indomitis sub signa Gothis, Suecisque coactis,
Theutonico infecit sanguine victor humum.
Fatis sed cessit, curę quibus Itala tellus,
Et sanctus priscę Relligionis houos.
At Regina *tibi pręsto sunt Itala fata.*
Quod non bella Patri, pax tibi sponte dedit.
Interea ò nostros multum miserate labores,
Qui regis æterno cuncta supercilio.
Rex hominum, Diuumque, Senem seruare memento,
Quem Patrem, ac Dominum rite dedisse iuuat;
Annue, Alexander *pacatum legibus orbem*
Vt regat, & multas viuat Olympiades.
Hactenus ò pueri Natali fecimus, olim
Cætera dicentur nobiliore Lyra.



FRAN-

FRANCISCI MACEDO LVSITANI DE ALEXANDRI VII. PONT. MAX: INAVGVRATIONE.



LÆta dies aperit Romam, tenebrasque resoluit
Tristitię, mors Innocui queis clauserat vrbem
Pontificis; noua lux oritur, mediaque Columba
Luce

Luce nitens, Petri Templum circumuolat, & se
Explicat in radios, secumque adducit Olympum.
Illa velut dubio quò sit ventura volatu
Voluitur in gyros: nec adhuc secura quiescit.
Scilicet hic ille est: Diuini Flaminis Ales,
Ales & ipse Deus: qui cum nouus Vrbe creatur
Pastor, Oues Christus cui tradidit, actus Olympo
Purpureos Patres Cœlesti Numine complet,
Iustaque sollicitas trahit in suffragia mentes.
Hic post assiduos vicina ad culmina Petro
Sunt vbi conuentus, vbi curia sacra, volatus,
Constitit, & Chisi delecto in vertice sedit.
Omnibus vna fuit mens, omnibus vna voluntas
Purpureis Patribus: cunctisque infudit amorem
Ille Ales Diuinus, amor Natique, Patrisque
Intimus. Haud vnquam visa est concordia maior,
Quę testata noui meritum Pastoris honorem
Et quem quisque sibi metuit sperare, libenter,
Detulit hunc Chisio: dignum quem munere tanto
Reddidit ante annos, matura & cognita virtus.
Ergo omnis festo miscetur Roma tumultu
Æra canora sonant, tormenta ex Arce sequuntur,
Conclamat populus: resonant fora, compita plausu,

Quisque

Quiſque ſibi tanto ſperat Paſtore ſalutem:
Illum ardent, votiſque vocant, oculiſque requirunt;
Excitat & nomen ſtudium: namque ille vocari
Iuſſit Alexander. Lætus quiſque accipit omen,
Et fore promittit, qui robore comprimat hoſtes,
Subueniat miſeris pietate, & ditet egenos.
Nec metus officia vt vitijs corrumpat, & aurum
Virtutis maculet culpis: hoc nomine Magno
Maior Alexandro: ſordes procul, & procul arcet
Delicias: animum non vlla exaſperat ira,
Non vllus tumor extollit: non dira cupido
Exagitat. Mitis placuit clementia cordi.
Imperijque modus, cultęque modeſtia mentis,
Virgineus candor, puræque innoxia vitæ
Semita. Relligio prima olli cura, Fideſque
Moribus expreſſa, & ſpirans cœleſtia factis.
Excoluit ſtudijs animum, doctoque ſubactum
Puluere, ad officium, rerumque exercuit vſum.
Seria nec tantum placuere: & amæna ſecutus
Rhetorices campos, & florea prata Poeſis
Incoluit. Muſaſque ſuo dignatus honore eſt.
Iam tum illum ingenio præſtantē, & mentis acutę
Excellentem acie reliqui coluere minores,
Et fore ſupremæ ſtatuendum culmine Sedis
Senſere vnanimes, iuſtos ſi attingeret annos:

Si-

Sìdera summa frui augurio, votoque dederunt.
Nec fortuna fuit meruit sua præmia virtus,
Ætatemque vltra venit maturus honori.
Iamq; adeo ingreditur vicino è limine Templū
Petri augustum, ingens, Patrum comitante Senatu
Purpureo, sellaque sedens supereminet omnes
Numinis os habitumque gerens: stat grata sereno
Maiestas vultu, faciesque modesta pudorem
Testatur deiecta oculos: nec spernit honorem
Nec iactat. Lunata caput tegit infula, corpus
Aurea circundat Phrygio subtegmine vestis
Tota rigens, latèque sinus demissa fluentes.
Vtque in conspectum populi, qui plurimus amplū
Complebat Templum, presenti Numine venit,
Exoritur varius concordi fœdere clamor
Gratantum Chisio, & plausu sua vota sequentum.
Ille vbi per medios inuectus contigit aram,
Maxima quę summo consistit fornice Templi,
Quatuor è solido cingentibus ęre columnis,
Quam super incumbit fulgenti machina Calo
Ænea, vbì pandit pennas aurata Columba
Distinctas radijs, stetit: ac de more vetusto
Consìdit, tacuere omnes: reuerentia plausum
Abstulit. Occurrit Petrus, Petrìque Magister
Mentibus in Chisio maior perculsit imago
Lumi-

Lumina, & insidens Christum induit: ocyus omnes
Purpurei Patres veniunt, & ad oscula currunt
Intemerata pedum. Quo dignius ora locentur
Crux pretexta pedi est: hanc oscula dantibus offert,
Hanc pia labra premunt; succedunt ordine Patres
Quisque suo: primum pedibus, mox oscula dextra
Quam vestis tegit, infigunt; dehinc altius ora
Attollunt, libantq; humeros. Pater excipit omnes,
Et leuat amplectens, velut auersatus honorem,
Quem Fratres peperere sibi. Fratrumque repente
Se videt attonitus summum euasisse Parentem:
Et tandem assurgens elata ad sidera dextra,
Inque latus ducta Crucis instar, & inde reducta
Largitur Populo veniam, culpasque remittit.
Tum redit in tectum, & templum pia turba relinquit.
Macte animo (Chisi) *tua te super ethera virtus*
Promeritum vexit: toto dominaberis Orbe
Alter ALEXANDER*: nec erit tibi limes Eous*
Oceauus, regioue Asia. Tu iura Sacerdos
Sacra dabis Princeps. Regum discordia tolles
Arma, ferens Pacem: vertesque in barbara ferrum
Agmina, & Astream deserta in tecta reduces,
Extendesque Fidem, Romanaque signa locabis:


 Vnde

Vnde superstitio veteres deiecerat aras:
Hæreticamque premes rabiem, tangesque corusco
Fulmine, Romana quod dextera torqueat arce.
Macte iterum: Leges, duce te, moresque vigebunt
Innocui, candorque animi, purusque resurget
Virginitatis amor. Pietas & sancta valebit
Relligio: incipient commercia libera Cœli.
Largior è superis fluet indulgentia. Templis
Vrbs vicina Deo, proprior virtutibus, astra
Præcipiet meritis, & præmia digna reposcet.



EIVS-

EIVSDEM
DE
CORONATIONE
S. D. N.



QVas ego conspicio per nubila rupta cohortes
Aligerum properare viam? stellasque sequentes
Inclinare polum (tanta est ea turba?) iuuentus
Quò Romana ruit stimulis agitata videndi,
Quę vetus exhibuit nunquam spectacula Roma?
Nec dubito, quin astra vrbi se iungere certent,
Cùm liget vna fides, amor vtraque copulet vnus,
Spiritus vnus agat: Sed quid mouet ardor eundi
Ille nouus, studiumque ingens? da pandere causas
Tu mihi, Romanam qui protegis aliger vrbem,
Musarum nam turba minor: licet enthea totum

Parnassum moueat, fontisque exhauriat vndas
Castalij. Nitet alma dies, qua summus Olympi
Insigni voluit nostrum decorare Tiara
Rector ALEXANDRVM, capitique imponere
Mitram
Tergeminam. Petrique palàm, Christique subire
In solio fulgente vices, & promere Claues
Quæ reserant, clauduntque Polum. Iam Templa
laborant
Mole ac plebe simul, portis gens omnibus vndat,
Exundatque iterum, premiturque, premitque vicissim
Turba ruens, acuitque oculos: iam candicat ordo
Purpureus, iubet alba fides mutare colorem,
Atque niues miscere rosis; pars purpurat ostro
Interior, pars exterior candore niuali
Albicat, erectis assurgunt tempora mitris
Candida, quę sectę prætendunt cornua Lunę.
Cœtera turba Patrum niueum vestita colorem
Lilia pura refert, faustique inducit honorem
Ominis: illa dies albo numeranda lapillo est.
Aeria prima petunt, templi qua porticus amplum
Porrigit in spatium, quamquam gemere arcta
videntur,
Et multa de plebe queri: spectacula pandit

Prima

Prima locus: venit ecce recens ad limina Pastor
Christiadum, spiratque polum, vultuque lacessit
Sidera, ceu superis etiam dominetur in astris.
Constitit hic paulum; precibusque inflexit Olympũ
Excepitque Patres, atque oscula prima recepit.
Mox ad templa refert vestigia; prouocat ara
Relligione potens, sacrum quæ corpus IESV
Sub specie panis venerando lumine seruat,
Sed meliore fide: diuinum hic Numen adorat
Pronus ALEXANDER: pulsatque altaria votis,
Inde ad Gregorij, quę proxima visitur, ædem
Se tulit: hic collecta nitet pretiosa supellex
Summus honor templi, sacer & thesaurus: ad arã
Destinat hunc pietas, magnus cum prima Sacerdos
Sacra facit; radiant auri subtemine vestes,
Quas Phrygiæ discreuit acus, fuluique labores
Lumina delectant, pretiosa grandine turgent,
Quę iustis conspersa locis per texta recurrit
Aurea, lucentes distinguunt stamina flores,
Aurea tota nitet gemmis currentibus ora.
Stant auro solido calices, auroque patellę,
Auro vasa; minus licet hic fulgere niuali
Argento: pudet hac pompa splendere minori.
Hic duo conspicio diuersa è gente micare
Ornamenta, pari splendore & dispare cultu,

 Ob

Ob Græcam, Latiamque manum, concordia cerno
Fœdera, Relligio queis Christi innexuit ambas,
Coniunxitque fide; diuersaque sacra reliquit
Qua non parte nocent, patrioque incedere ritu
Permisit Graias illæso numine gentes.
Fœderis ergo memor gemina ornamenta capeßunt
Pontifices, geminas vno qui iure gubernant,
Inque vnum redigunt ambas caput: auctus vtrisq;
Vestibus, & duplici facturus sacra paratu
Exit ALEXANDER, mediamq; incedit ad aram,
Quæ patet egregijs hinc inde inclusa columnis
Quatuor ære grati, molli quos fida labore
Cælauit manus, & vario discrimine finxit
Ceu cera formaret opus, spirisque reuinxit
Tortilibus, sparsitque comas, & germina duxit
Frondea, sustentant nitidi tectoria cœli:
Quæ super expandunt ductu ambitiosa procaci,
Quadratam faciem: celso fastigia surgunt
Vertice, fulget apex, & sidera prouocat arte.
Intima pars animat radijs aurata columbam
Scintillantem auro, vertentem in lumina pennas.
Vnde nitor micat effulgens, aramque coronat.
Hic locus est Sacris solemnibus: hic quoque primũ
Fecit ALEXANDER, populumque admisit
vtrumque,

Dum

Dum lingua dat vtraque legi, quæ sancta reposcunt
Munera, sic vno sociantur sanguine gentes,
Quod pretium commune fuit: tum ritè peractis
Iam sacris extrema mouet spectacula; templi
Exterior facies, quà latè extenta fenestram
Pandit, & ingentem circumspicit edita circum,
Progreditur, sed cur tereti de stipite contus
Eminet erectus, stuppæque in vertice monstrat
Fasciculum? morem agnosco; præit vnus, & alter,
Pontificemque monet signis sua facta minister.
Ille tenet contum, flammas gerit ille, remittit
Hic contum, stuppasque offert, tunc obijcit ignem
Alter, & incendit, subitoque incensa crematur
Stuppa oculos fugiens; tanta est violentia flammę,
Inclamatque tenens: Sic transit gloria Mundi.
Ne qua animum subeat iactantia, mortis imago
Obijcitur, cogitque altos deponere fastus.
Hoc tenuit, veteres ageret cum Roma triumphos.
Iamque adeò ascendens supremo in vertice sistit,
Despicit vnde forum, videt vnde, atq; vnde videtur
Omnibus, innumerum coit ad sollemnia vulgus,
Nec capitur spatijs, cuncti fastigia seruant,
Attoniti: maior subito cum apparet imago
Pontificis, supraque hominem, spiratque supremũ
Numen agens Christum, stat celsa in fronte Tiara

Tergeminum diadema ferens, & turbinis in star
Erigitur, superosque petit. Sensere potentis
Imperij vires cœlestia sidera, cœlum
Contremuit, tonitrusque dedit: concussa repente
Nubila sudarunt, largosque liquentia nimbos
Infudere solo. Phœbum timor abstulit, horror
Eripuitque diem: cunctos reuerentia tangit
Pontificis, documenta pijs dant sidera signis.
Conclamant pariter, pariter lachrymantur, & imbres
Inuoluunt oculos, nubesque in fœdera luctus.
Donec ALEXANDER leuat alto è culmine dextram
Effingensque Crucem cælestia munera donat,
Exoratque Deum, tum desijt ille videri
Tecta petens, populusque illo cedente recessit.
Fit strepitus, feruetque forum, currusque feruntur
Præcipites, varioque ruit vaga turba tumultu,
Lætaque festiua spondet sibi gaudia noctis.
Nec longas trahit illa moras: ciet astra cupido
Inuida: succensent Phæbo, damnantque nitores
Indignata diem, melioraque lumina poscunt.
Iamque coronantur summi fastigia templi
Lumine perpetuo, viuusque incenditur ignis,
Vicineque micans incendia prouocat arcis,
Ange-


Angelus insigni quam nomine donat: in orbem
Cingitur hæc, promitque faces, formatque coronam
Igniuomam, dant astra locum, radiosque comantes
Gnossia subtraxit confusa pudore corona.
Lux obijt; nocturna magis quò lumina possint
Collucere Vrbi, primùm leuia arma ministrant
Sulphurea per inane faces, quas fistula nodis
Claudit arundineis, quam stuppea cingit in orbem
Tænia, texta premens, intus seruatur ad ignem
Sulphureus fæto latitat qui viscere puluis.
Aëra peruolitant, nunc recto in sidera cursu
Diffugiunt, nunc se obliquo flectentia gyro
Incuruant, terramque petunt, pars fortior ignem
Concipit, & strepitu vaga nubila rumpit acuto.
Mitius incedit pars altera, liquitur ignis
Vltimus in lachrymas, moriuntur in aëre guttæ.
Fit sonitus sclopis, festiuaque murmura flammis
Respondent: primusque minor sonus excitat aures.
Mox tormenta cient validos maiora boatus,
Quo resonant latè fora, tecta, & templa fragore.
Indicium pugnæ, subitò resoluta patescit,
Machina flammarum, fontes imitata procaces.
Cum tubulis expressa salit stridentibus vnda
Alta petens, rorare faces, ignescere rores
Aspicias, paulumque sinus laxare rogales,

Et

Et nubem formare leuem: faculasque volantes
Ire polo, vibrare ignes, motuque volucri
Huc illuc celeres, voluique, rapique fauillas;
Sed seruare modum: tenuis nam flamma resurgit
Seque premit paulum crescens, iterumque resumit
A tergo vires: mox impetus altius ire
Compellit, laxare orbes, expandere nubem
Igniferam, pluuios quæ fœta liquatur in ignes.
Attoniti dubitant oculi; num tela fauillę
Sufficiant, cœlumque petant, iaciantque sagittas?
Roscida num varijs se vestiat ignibus Iris
Inflectens arcum, ducatque per æthera gyros?
An leuis exultet medijs exercitus auris,
Et moueat festas ignito milite pugnas?
Sic flammæ, sic tela volant: nec deficit horror:
Nam lugubrè sonant, crepituque per aëra currunt.
Hæc Italis nubes, Gyrandola, *rite vocatur.*
Hæc repetita duas tenuit vaga lumina noctes.
Post ignes Clypeus, summi qui stemmata gestat
Pontificis, superest, radijsque micantibus ardet.
Hęc sunt tergeminę solemnia Sacra Tiaræ:
Victor ALEXANDER *cœlo caput inserit; Astra*
Promittunt aliam post funera sera Coronam.

EIVS-

EIVSDEM
DE
S. D. N.
POMPA TRIVMPHALI.
Vulgo Caualcata.



F Ortè quiescebat viridi Tiberinus in antro
Mitior, & liquida tenuabat cornua frontis
Indignatus aquis, Maij primordia mensis
Digna putans meliore nota; variosque legebant
Instar Apum gemino riparum margine flores
Naiades, & roseis decorabant tempora sertis.
Cum se nona dies Græco sacrata quotannis
Gregorio, clarum cui dia scientia nomen
Imposuit, rutilis inuexit læta quadrigis,
Atque noua radijs preluxit ad Orgia pompa,

Qua

Quæ veteris renouet ſpectacula digna Triumphi.
Ergo feſtiuo miſcetur Roma tumultu.
Feruet turba vijs, hilarem iuuat ire per vrbem,
Mirarique aulæa vago pendentia viſu,
Et quanto radient nitidæ ſplendore Plateæ.
Iamque viris adduntur equi, curruſque volucres
Agglomerant: Circumque petunt, vbi iuſta Triumphi
Summus ALEXANDER, Romæ Caput Vrbis, & Orbis,
Cauſa latet, ſeruatque domum, quà proxima Petri
Regia ſe templo connectit, & hoſpita iungit
Tecta Deo. Fluit hùc vulgus torrentibus actus
Ceu rapidis vndante foro. Da pandere feſtum
Muſa diem, ſeriemque grauis deſcribere pompæ.
Curribus illa dies properis inimica refulſit,
Totus honos ſeruatus equis: ſtant conſcia laudis
Agmina cornipedum, phaleris inſignia, fuluo
Quæ diſcernit acus Phrygio de more metallo.
Aurea fręna nitent, auro lentantur habenæ,
Luxuries crinita iubis nodatur in auro.
Serica multiplici diſcurrit tænia lapſu
Diſcolor, & pendens per colla licentius errat.
Incipiunt complere forum: curruſque recedunt
In

In Circum, quà parte vacat. Tuba prima sonoro
Murmure sollicitos ciet ad spectacula sensus.
Bellica respondet scloporum turbine contra
Inque vicem resonat statio, sonitusque remittit
Horridiore modo, sed gaudia prouocat horror.
It vicina cohors Equitum: remouetque sequentis
In latus affluxum populi, pariterque sequuntur
Ordine seruato famuli, qui stragula portant
Aurea cornipedum; videas deflexa parumper
Sole sub aduerso Phrygios monstrare labores,
Succedunt alij portantes ordine Clauas
Argento solido; queis cederet Herculis illa
Ære grauis, pretioque minor: mox turba clientum
Insequitur, sacrata Patrum quę tecta frequentat.
Legatùmque, virùmque domos, qui sanguine nati
Egregio: cunctis it lucida vestis, & auro
Præcipuis distincta locis. Quę deinde refulget
A tergo præclara cohors candore niuali
Arma gerens; armatque niues, & flectit habenas
Huc illuc, & mittit equos? Ea Martia nostri
Pontificis volat ala celer, pompęque decori
Consulit, & certo disponit in ordine turmas.
Quatuor à scuto famuli, geminique sequuntur
Mandatur portanda Feri queis mantica dorso.
Post alij rubro quos purpura vestit amictu

Ince-

Incedunt lecti Pedites, frenoque prehensos
Alipedes ducunt, quos aurea stragula multo
Texta labore tegunt, longoque fluentia ductu
Verrunt penè solum: color illis candidus, omnes
Egregij, quos Parthenope dat grata quotannis
Pontifici, signatque dato sacra iura tributo:
Tergeminæ fulgent auri splendentis honore
Lecticę, pretiosa tegit quas purpura, grandes
Tecti auro portant ingentia pondera muli.
Quæ procul illa cohors fulgentia lumina fundit
Vestibus, & gemmis insignis, & ordine longo
Spumantes moderatur equos? Hanc plurima format
Nobilitas; non cura loci, non ordinis, omnes
Cogit amor, cui cedit honos: ceu sidera fulgent
Ob speciem, simulantque vagos non firma Planetas.
Quinos Pontificis Famulos succedere rursum
Aspicias, ostro nitidos, Clauisque minaces.
Quatuor inde decem cristato vertice rubro
Insignes habitu resonantia tympana pulsant
Precceduntque tubas, quarum chorus excitat aures,
Ingeminatque sonos; sequitur mox turba Cubili
Quę præfecta sacro, Cameræ custodia, fidi
Et vigiles famuli. Properat gens docta, Patroni
Mul-

Multiplices, qui iura docent, cauſaſque miniſtrant.
Quattuor erectis videas incedere contis
Et totidem rubros pro cuſpide ferre Galeros.
Vnde tamen decor ille venit, quem plurimus ordo
Veſtibus oblongis, manicis pendentibus, ater
Quos color infecit, turmis praeuntibus, affert?
Ille ſapit Romam, Romanaque munia ſignat.
Ecce Magiſtratus Vrbis, veteriſque Senatus
Effigies: qua ſpirat adhuc venerabilis orbi
Maieſtas, faſceſque nouat, reuocatque ſecures.
Hos ſequitur ſacrata manus, cui noſcere cauſas
Et cenſere datur: partim diplomata tractat
Pontificis, partimque Rotæ memorabilis vſu
Et leges, & iura mouet, finemque reponit
Legibus, & recto componit fœdere cauſas.
Additur his ſocius ſacri lux docta Palati
Angelici ductus Thomę de Sole Magiſter.
Quattuor inde Vrbis Polemarchi veſtibus albis
Puniceiſque nitent, queis pilea vertice ſurgunt
Nigra, quater denos totidem regionibus Vrbis
Præpoſitos videas Hiſpana veſte ſequentes.
His color eſt habitus argenteus, aureus enſis,
Pilea nigra, comas euentilat aura volantes.
Signifer hos inter ſacer emicat, ardet in auro
Splendidus: & ſocius qui ſe caput omnibus addit

Di-

Dicitur vnde Prior, quem cætera turba veretur.
Mox alij, diuersa notant quos munia Romæ:
Floridus hic Equitum numerus, qui sanguine clari
Stemmata prisca gerunt, & auorum nomina iactant.
Splendet, agens ad frena feros: it vestibus aurum
Textile, solari resplendent lumine gemmæ.
Ecce duo rutilant socij, quos gratia vultus
Et vestis commendat honos: par cultus vtrique
Maiestasque nitet: custodia bellica circum
Funditur, arma tenens; iuuat ire, & cominus ambos
Nosse iuuat: micat hic vrbis Moderator, & ille
Legatus Venetûm, tantæ duo sidera pompæ.
Tùm sese gemini, tractant qui sacra ministri
Et mores, legesque docent, ritusque verendos
Obseruant, dictantque simul properantibus addunt.
Hos alij rubræ dicti de nomine virgæ
Excipiunt. Crux ecce venit prælata vetusto
More micans, gerit ille manu qui fulget abolla
Punicea. Viuos cerno succedere flores
In pueris quos Roma tulit: stat gratia puris
Cruda genis, tener ore decor, nec germine malę
Pubescunt, roseos tantum dignantur honores,
Et superant, nitidusque decet puerilia cultus

Cor-

Corpora, versicolor Phrygio subtemine vestis
Candicat argento, micat auro, lumine fulget
Gemmifero, cristatus apex committitur auris,
Plumescunt niueis nigrantia pilea cristis.
Ire quater denos videas, peditesque præire
Pontificem, qui ponè venit, pars Maxima pompæ,
Summus ALEXANDER, Romæ Pater Vrbis, & Orbis
Iustus Amor. Sella vectus sedet ille curuli;
Et patet, optantum fraudet ne lumina visu
Qui coeunt: vultu grauitas immista pudori
Cernitur, augusta spirat de fronte vigorem
Æthereum, nectarque refert, stant sidera nutu,
Fixa superciliјs, quatit astra, polumque lacessit,
Extenditque manum, populum Cruce signat, Olympi
Dona ferens, veniamque reis de munere Christi,
Cuius agit, redditque vices. Hunc turba salutat
Clamoremque ciet; repetito murmure clamat
Victor Io, veteres renouans hac voce triumphos.
Illum pone sequens it turba domestica, cultu
Egregio, partita locos, pro munere quisque
Sortitur, seruatque suum, sequiturque Parentem.
Vltima lux pompæ multo spectabilis ostro
Emicat, incendit prolixas purpura vestes

In longos flammata sinus : rubrique Galeri
Vertice resplendent, sacri quę signa Senatus,
Quo Romana Fides, ceu cardine nititur; omnes,
Aspernantur equos, nitidis incedere mulis,
Mos iubet antiquus. Sequitur pulcherrimus ordo
Pontificum, quos mitra decet; queis sacra virorũ
Agmina se iungunt Romanæ proxima Sedi,
Munera qui diuina gerant, Petroque ministrent.
Clauditur armatis hic pompa cohortibus; arma
Sunt pia cincta togis. Equitum leuis ala coruscat
Purpureis induta sagis, galeata superbit
Pondere cristarum, leuat hastas, bella minatur
Dulcia, parua notis vexilla mouenda remittit.
Sed maiora gerit Romanæ Signifer Vrbis,
Stant vbi texta simul duo stemmata sacra, profana.
Littera scripta notat, Patres populumq; Quirini.
Hic ordo, decor hic pompæ. Quis cætera versu
Commemorare queat? Quali tormenta boatu
Aligeri moles turrita retorquet in auras?
Quantus & vndanti populo despexerit vndas
Pons Tiberis? Quali Capitolia celsa paratu
Ornauere diem? Quantus decor induit arcum
Septimij? Quali Parmæ Viridaria cultu
Extinxere rosas? Dignè quis scripserit arcus
Ornamenta Titi, Patrisque. Colissea versus

Non

Non capit exiguus. Quæ Carmina? Lemmata? Plausus?
Quæ voces? Quæ vota? Preces? Qui Gaudia? risus?
Atque piæ lacrymæ? Spectacula vulgus amauit,
Sed nummi placuere magis, queis prodiga dextra
Aëra conspersit, sed nullus abiuit in auras:
Collegere sinu, (tam cara pecunia) turbæ.
Cætera quæ templo Laterani Maximus egit
Pastor ALEXANDER, veneranda silentia poscunt.
Astra notant: fragili non sunt credenda papyro.
Hoc satis est Musis, sit terminus Ara Poesi.



EIVSDEM

Epigramma

MORTEM, E PLVMBO FINGI, IVBET ALEXANDER SEPTIMVS.

Mortis ALEXANDER cupidus pia vota refutat,
Viuere quam cupimus, tam cupit ille mori.
E plumbo iubet artificem sibi fingere Mortem,
Cogitet vt mortem, præcipiatque suam.
Nos tamen accipimus votis melioribus omen,
Quippe venit quæ mors Plumbea, tarda venit.

Aliud

Aliud eiusdem.

IN DIEM
CORONATIONIS

Qui cum serenus illuxisset, vixdum Coronato Pontifice in fœdissimum versus, ac deinde sibi redditus est.

SVmat ALEXANDER trina ut diadema Tiara,
Testeturque Dei quas gerit ille vices;
Clara dies oritur, duratque serena per horas,
Vixdum perfectis vertitur atra sacris.
Sensit iura Polus: nam se quoque numine tangi
Pontifice electo sidera summa sciunt.
Ergo signa sui cultus manifesta dederunt:
Nimbi, Auræ, Tonitrus, Fulgura, Grando, Niues.
Ac ceu composito obsequij argumenta dedissent,
Ad genium rediјt mitior inde dies:
Qui notet hæc varij discrimina temporis, ille
Dicet: Pontifici Numen inesse Dei.

Eiusdem elegia.

S. D. N.

ALEXANDER SEPTIMVS.

Vixdum creatus Pontifex Capsam sibi è plumbo futurum conditorium à Bernino Statuario insigni ad osculum pedum accedente fieri iubet, & lecto supponi suo, his verbis.

Quid Bernine meis cupis oscula figere plantis,
Et prensare meas ad pia dona manus?
Non prius elicies votis quæ grandibus optas,
Quàm tua mortalem me notet esse manus.
Vade, precor, Capsam liquido mihi confice plumbo,
Quæ

Quæ ſit defuncto corporis urna mei.
Hic tu finge meos iuſta ſub imagine vultus,
Arte tua nectant, vitaque morſque vices.
Et quanquam deſcripta tua mors viuat ab arte,
Mors eſt naturæ conditione meæ.
A te alij, vt viuant, poſt funera ſigna requirunt,
A te quo moriar mortua ſigna peto.
Quoque magis mortem noſtro deſcripſeris ore,
Hoc animo veniet gratior illa meo.
Sum mortalis ego: nec mors aliena placebit,
Me memorem mortis mors mea ſola facit.
Velle quidem ſtultum eſt aliena viuere vita,
Stultum eſt alterius funere velle mori.
Hanc iuuat effigiem proprio ſupponere lecto,
Vt propiùs fratres, Morſque, Soporque cubent.
Mixta quies veniet feralis imagine mortis:
Maxima pars ſomni, ſomnia mortis erunt.
Efficiam, vt caream nè poſt mea fata ſepulcro,
Qui minus hoc viuens prouidet, ille caret.
Defunctis quanquam eſt facilis iactura ſepulcri,
Non ideo viuis eſt quoque culpa leuis.
Non tegitur Cœlo diues, qui negligit vrnam,
Illum, qui pauper non habet, aſtra tegunt.
Si mihi ſunt ſumptus ad munera Sacra Tiaræ,

Cur non ad funus, bustaque sumptus erit?
Efferor inuitus dum celsæ ad culmina sedis,
Efferri iusto funere credor ego.
Nam rapior. Trahit ad solium violentia fratrum,
Dissipat & vires vis mihi facta meas.
Magnum onus impositum, cuius sub mole fatisco,
Ingenti breuiter pondere victus ero.
Obruar, inque meam me deferet impetus vrnam,
Hoc magis ad casum est vrna paranda mihi.
Molliùs excipiet, tellus quàm nuda, cadentem,
Si grauis est casus, sit mihi terra leuis.



GVLIELMI DONDINI.

S. I.

CARMEN.



FAuistis Superi! pietas diuina querelas
Audijt humanas, nec terras odit olympus.
Vnanimi aßensu, diuùmque hominumque tenemus
Pontificem, qualem votorum audacia feßis
Optauit populis. Vnus fulcire ruentem
Qui mundum, euersoque valet succurrere seclo.
O nimium formosa dies, quæ septima verno
Sole coruscauit! misero, qua septimus Orbi
Fulsit ALEXANDER. *Melioris origine fati*
Quot mala compensas? ò lux par omnibus annis

Vna,

Vna, per immensos aui celebranda rotatus.
Iam verno genitum non abnuo tempore mundum:
Secula ver illud peperit, hoc secla nouauit.
Iam fessus senio, & regnati pondere mundi
Christiadum Princeps, animum diuiserat astris,
Corpus humo, placida compostus vtrumq; quiete.
Vndique Romulei lectissima lumina regni
Conuenere, sacro qua sidera Vaticanus
Culmine tangit apex, & Romam iungit Olympo.
Scilicet augustam mentem, imperijque capacem
Suffectura, parem moli, vastumque replentem
Corpus; adorandum terris, Ereboque tremendum
Pontificem, gratum superis; qui dirigat Orbem
Consilijs, Orcum spoliet, cælestia pandat,
Tergemino triplicem moderans diademate mundũ.
Res tanta, & merita heroũm, quorũm vrna movebat
Nomina, suspensos animos, & corda Quiritum
Detinuere diu: quonam suffragia Coelum
Verteret, impositura caput terris, generisque
Humani paritura Patrem. Procedere menses
Incipiunt, magnoque in partu fata laborant.
Nox erat; & fessas Lethæa obliuia gentes
Spargebant placidæ iucundo nectare pacis:
Cum tacitas imitata rotas stellantis Olympi

Ro-

Roma silet, nec vox hominum, cantusue volucrũ,
Latratusue canum turbat, non vngula equorum,
Stridentesque viȷs currus, sopor omnia mulcet.
At non Romulea castus de gente Sacerdos
Ignotus vulgo, ast oculis bene notus Olympi,
Munera delibat somni; quem vespere primo
In Vaticani secreta sede sepulchri
Orantem, ad Diuùm cineres, nox occupat atra:
Marmoreoque latens tumulo, studiosa fefellit
Lumina custodum; dum terræ pronus inhærens
Expugnat precibus Cœlum. Iam lucifer illum
Admirans, iterum summo spectabat ab ortu:
Cum tandem fessis oculis irrepere cœpit
Nox animo paritura diem per visa serenum.
Ecce etenim claram Cœlo descendere lucem;
Aut videt, aut vidisse putat, dispergere tectum
Fulgura, candidiora diurnæ lampadis auro,
Nec non ingentem venientum audire tumultum.
Accelerant iuuenes, auro per colla vagante
Crinali, pictis armis, longisque sarissis
Turba Palatinis similis custodibus, aulæ.
Sed proceres stellantis erant, qui limine templi
De medio, populos arcent, vndamqua fluentem,
Vt descensuro Cœli è conclauibus aureis
Pontifici pandatur iter; nam vulgus inundat
Diuo-

Diuorum innumerum, varium, quàm sorte, habituque,
Tam vultu, & linguis. Alij candore niuali
Veste pudicitiæ fulgent, his murice picta
Vitali chlamys ardet, at illis flumina fletus
Ex oculis stillata, maris duxere colorem,
Semina perpetui risus, in fronte corollæ
Distinctæ, palmæ in manibus; verùm omnibus vna
Lætitia irradiat vultus, fingitque beatam
Cælicolum Plebem. si Plebis nomine dici
Fas Regum populum, quorum vltimus ordine quisquis
Latiùs Augusto regnat, cogitque potentes
Plebeium in morem, submittere colla tyrannos.
Sed radiante Crucis labaro, iam pompa propinquat,
Et Vaticanum populis comitantibus intrant
Purpurei Atlantes Orbis, fideique Columnæ,
Christiadumque patres; dominos de more ministri
Quisque suos præeunt, pro sceptris, cædis herilis
Instrumenta, auro, gemmisque decora gerentes.
Sic sua Crux Petrum anteuolat; quam sparsa figurant
Eoi nitida astra poli, gladiumque coruscans
Turbidus astrigerum Paulo præcedit Orion.

Crux

Crux aliter ſtellata præit te gentis Achea
Eximium Andrea columen, ſed lancea fulgens
Matthæum decorat, nigro vibrata lacerto
Æthiopis; lapis hunc gemmatus, culter at illum,
Auratuſque calix alium, ſpumante veneno
Nobilitant. Nam cædis amor, meritumque, de-
cuſque
Crebrò cædis habet. Sua poſt inſignia Patres
Ordinibus bini incedunt, in veſte rubentes
Punicea; tunicas licet agni murice tinctas
Inflammat quoque vena ſui pretioſa cruoris:
Pulchrior eſt ab amante datus pro ſanguine ſanguis
Poſtremus vehitur ſella ſublimis eburna
Pontificum Princeps Chriſtus; pro quantus in ore
Scintillat Deus, & Virgo? colla ardua curuant
Olli, qui portant Orbem, luduſque videtur
Compoſitus Mundi Auctoris cum pondere,
Mundus.
Ex humeris pendet ſtellis trabea aurea, cingit
Tergeminum frontem auguſtam diadema, recondēs
Spinarum crudele decus; nam cetera lino
Tecta licèt, claros erumpunt vulnera ſoles.
Quale ſub albenti Phœbi fax nubis amictu
Et latet, & lucet; criſtallum, ignemque maritat.
Ponunt genua ſolo populi obſequioſa; curule

Quo-

Quocunque ingreditur solium, quoties Crucis, altè
Dextra elata, suæ designat grande trophæum,
Aßociant plausu toties, fremituque frequentes.
Sed gratantis habent sensus, & carmen amantis
Hæ voces; procul hinc gemitus, aut anxia verba
Vulgi, noxarum veniam de more precantis
Mortis in articulo; quæ mors, quæ noxa fatiget
Cælestes animas æterna in sede beatas?
Ventum erat ad Diuum tumulos, queis corpora tellus
Amborum fidei præconum amplexa superbit,
Non secus, ac Lunæ, & Solis fulgoribus æther.
Gemmato incumbit venerabilis ara sepulchro.,
Desuper auratis aurata vmbella columnis
Fulta nitet, moles pretio, atque authore superba
VRBANO; qua non vllum speciosius Orbe
Surgit opus, quamuis Capitoli templa manerent,
Aureaque insani radiarent tecta Neronis.
Aurato cœlo tholus imminet, astraque pulsat
Pictus imaginibus Diuùm; quorum obtinet almos
Cœlum animos, Roma exuuias; hoc omnibus vna
Vrbibus illa præit, stellantibus æmula regnis.
Pars tumuli à tergo, spatiosum extrema theatrum
Format, vbi solio sese Regnator olympi
Composuit, viridi vestita sedilia panno
Pur-

Purpurei impleuere patres, bis Sena Senatus
Lumina, ſyderei proceres, Orbiſque magiſtri.
Scamna ſecunda tenent, pallentibus indumentis
Tecti paſtores populorum, cætera Cœli
Aula, gradus omnes ſolij, ſubſelliaque ima
Occupat. Vnum oculis ſed circumfuſa tuetur
Numen turba ſuum, vultu omnis pendet ab vno:
Talis erat ſpecies aulæ cæleſtis, & illa
Exemplum Romana ſibi deſumpſit ab aula.
Relligio vna, vnus princeps, amor vnus vtrique:
Sed quod amant illi cernunt, gaudentque potiti,
Quod mortale genus vitæ veſtigat in vmbra,
Pontificiſque ſacra ſub imagine Numen adorat.
Hic poſtquam meritis Regum Pater oſcula plantis
Obſequium excepit Mundi, diuerſa rogantum
Vota recognoſcit, Legati ritè ferebant
Cælicolum primi. miſſas à veſpere ſero
Reddidit ore preces, & lingua, & nomine magnus
Gregorius: Mundi pars æuo incognita noſtro
Fluctibus Oceanì vallata America profundi,
Omnipotens genitor tibi ſupplicat omnibus vndis.
Terra coronati partu pretioſa metalli,
Nobilis argento, lucens & plurima gemmis.
Sed nigras populorum animas, & ferrea gignens

Pe-

Pectora, soliuagas sine lege, ac Rege cateruas,
Gestantes hominum vultus, & corda ferarum.
Da, Rex magne, Patrem, qui curas induat Orbis.
Qui, misso cultore, rudem mansuescere cogat
Barbariem, atque homines humano viuere ritu,
Scilicet & Cœlo genitos assurgere Cœlo.
Vix ea Gregorius: patriæ cum tactus amore
Augustinus ait; si quantum Hyperione flagrat
Africa, diuino tantum de sole caleret,
Nulla foret pars terrarum felicior; at nunc
Frons ardet, sed corda gelant. Dum copia lucis
Fert ori tenebras, nox maior pectora seruat,
Et vultus, animi caligine, duplicat vmbras.
Perfidiæ feritas, fraudum versantur vbique
Nomina: quot Nomadum celebrant deserta leones,
Quot Libycis errant elephanti saltibus, & quot
Arua venenatæ serpunt per Maurica mortes.
Vnica tot clades inter, solatia Cœlo
Præbebat, rosa ceu medios intersita dumos,
Æthiopum tellus: sed labe Dioscorus illam
Inficiens Erebi, Latio disiunxit ab Orbe.
Quædam littoreo dispersa in margine regna
Lusiadum virtute subacta, & fortibus armis,
Christiadum leges, Romanaque sacra frequentant.
Interiora Saraceno sordentia cultu

Hor-

Horrescunt, aut nulla, vt Cafres lege vagantur.
Da, Rex magne, Patrem, qui curas induat Orbis.
Qui vitæ fontes nìmiùm sitientibus Afris
Offerat, & Nili salientis in astra liquores.
Dixerat ille, Asię tum Pastor nobilis, oris
Cuì pretiosa sui facundia nomen inaurat:
Quattuor è magnis terrarum partibus (inquit)
Pars mole, imperijs, centum pulcherrima regnis,
Te supplex Asia implorat. Cunabula prima
Humano hæc generi, Paradisi præbet in horto:
Mox hominem pelago, & scelerum eluuione suorum
Immersum reparat nece Numinis, in crucis arca,
Dìluuioque alio; fieri dignata Tonantis
Patrìa, ferre genus, miracula, tecta sepulchrum.
Quid tamen ista iuuant? Asiæ si terra, salute,
Quam mundo peperit, caret; & pietatis origo,
Christiadumque parens, tot sedes inclyta quondam
Concìlijs, tot Diuorum celebrata trìumphis,
Nunc Erebi squallet nocte, in caligine cęca
Errorum; venerans deliria fęda Mahumę,
Flendaque Brachmanum, ridendaque monstra,
Pagodas.
Nec tot adoratis Asię de Regibus, vnus
Sacra Latina colit. Domino vsq; adeo ne rebellant
Sceptra Deo? an regnare solo, stellisq; negatum est?

Regnantum mores vrbes, populique ſequuntur:
Innumeręque ruunt laxata in Tartara prędę.
O ſi quis ſolem tenebris inducat Eois,
Paſtoremque gregi erranti! labentia regna
Sæpe vnus vir reſtituit, quæ perdidit vnus.
Da, Rex Magne, Patrem, qui curas induat Orbis.
Nec Romæ tantùm ſe natum cogitet, ipſam
Quin Aſiæ, atque Orbis faciat Romam eſſe parentem.
Dixerat hic, primi cum vox audita Leonis.
Quattuor è magnis terrarum partibus vna
Mole quidem minor, heroum ſed maxima partu
Europa, ò rerum Genitor, tua Numina poſcit.
Imperij quondam ſedes, cui terminus Orbis,
Seu Macedum, ſeu Romulidum; nunc inclyta ſedes
Pontificum Regni mundi trans regna vagantis,
Poſt Orbem ſupereſt cui terminus Orcus, & Æther
Millenis pietas templis, & vera triumphat
Relligio, faſces Cœlo ſubmittere gaudent,
Et Regum Regi inclinant diademata Reges.
Nuſquam tam ſanctis fundatæ legibus vrbes,
Auſpicijſque bonæ florent melioribus artes.
Quæ pacis decora? inuicti quot fulmina Martis?
Qui doctrinarum cultus? monumenta virorum
Quan-

Quantorum? in chartis longum victura per æuum,
Æmula marmoreis, qui iam cecidere, colossis.
Felix Europe, felix! si non bona tanta
Fædarent gemina ex Erebo furialia monstra
Hæresis, & bellum. Lethalibus illa venenis
Inficit Arctoas gentes, hoc arma potentum
Æmula regnorum cognata in viscera ducit.
Da, Rex magne, Patrem, qui curas induat Orbis.
Qui notæ Arctoos populos moderamine virgæ
Ad Latium reuocet dilectus Pastor ouile:
Qui belli furias, veros conuertat in hostes.
Et Venetum congressum Asiæ cum Rege feroci
Viribus haud æquis, animo maiore Leonem,
Armorum iuuet auxilijs, Asiæque tyrannis
Perpetuam obtrudat felici clade salutem.
Hæc Leo: tum Regum Princeps sic ore profatur.
Poscitis æqua Patres pro mundo munera, nobis
Quæ dare iam pridem mens ardet; sed tenor aulæ
Seruandus cælestis erat, quo munera votis,
Atque precum constant auro rescripta salutis.
Pontificem dedimus, qualem vix aurea iactent
Secula Christiadum; qui relligionis amore
Gregorios, pietate Pios, & fortibus armis
Æquat, ALEXANDROS, animi insuperabilis ære
Tergemino, augustos, & pectore, & ore Leones.

Pontificum florens cunctorum laudibus vnus
Seruet ALEXANDER *nutantem Septimus Orbem.*
Finierat: vocemque Tonantis fata sequuntur
Dat signum tonitru Cœlum, tormenta boatu,
Templa virùm, fidiumque sonis, clamoribus Æther:
Seruet ALEXANDER *nutantem Septimus Orbem.*

Hac diuina tenus lustrauit visa Sacerdos.
Nam sonitu excussus tanto de pectore somnus,
Et cum somno aulæ fugit stellantis imago.
Protinus ergo oculos pandens, effulgere veram
Cernit vbique diem; sed adhuc ne somnia vana
Credat, ALEXANDRI *nomen sonat auribus, io*
Viuat ALEXANDER, *gratantis murmura Romæ,*
Voce viri, clangore tubæ, tormenta fragore.
Egressus tumulo, miracula cernit, & audit,
Quæ visis fecere fidem; quippe arduus inter
Plaudentum fremitus, exultantumque Quiritum,
Lux patriæ, decus Italiæ, spes Vrbis, & Orbis
Ibat ALEXANDER; *nec tam ceruice ferentum,*
Quàm fama, & factis, & laudibus altior ibat.
Quantus in ore Deus, cui dextra Vicaria, nutu
Astra salutari pandit? quàm mitia vibrat

Ful-

Fulgurà maiestas ? nullo se Principe tantum
Felix Roma tulit , nec spes porrexit in orbem
Latiùs . Ingenij nam quale vigentis acumen ,
Viuida vis mentis ? doctrinæ in pectore quanti
Thesauri ? quàm dulce vehens facundia nectar
Eloquij ? & locuplex vsu prudentia rerum ,
Iustitiæque rigor patrio confusus amori ,
Et pudor , & pietas , & fama pedissequa laudum ?
Nomen ALEXANDRI toto Germania Rheno
Virtutis CHISIÆ Germania grande theatrum
Reddit , & Oceani geminaudum porrigit vndis .
Proxima Barbarico quassata Polonia Marte ,
Nomine in augusto respirat , & auspice tanto
Prima spei affulget nocti scintilla Britannæ .
Gallia discordi plausu sociatur Ibero .
Belgica quem tellus , quem dura Suecia tollit
Fluctibus in medijs ? venerandæ ad mœnia Romæ
Quæ Regum fratres animo dimisit amanti :
Auguror hos eadem nunc rursus ad oscula mittet
Romano libanda Patri , Regumque Parenti .
Nam Latijs inimica sacris (quis credat?) in vnum
Agmina conspirant votis , ò sacra potentis
Vis veri ! populis pastorem hunc ipsa poposcit
Perfidia , & quamuis extremos sentiat inde
Occasus instare sibi , tamen vrna , rogusque


Hoc authore placent: vitalia vulnera credit,
Quæ pietas feret ipsa manu pastoris amantis.
At quo Te cantu, gentilia ad astra feremus
Nos Itali, ò Vaticani noua gloria! per Te
Quandoquidem speciosa etiam nunc gentibus illis
Italia est, patriæque Senæ, dum Cimbrica Tibrim
Vrsa colit, Gentis geminatum sydus adorans,
Et Latios Istro reuirescere gaudet honores.
Sola sui cladem CHISIO à fulgore nitoris
Thracia Luna pauet: contra Regina profundi
Hadriaci exultat, subitò exhilarata beato
Gurgite inundantum radiorum, & stirpe feraci
Pontificum, gestit Regum supplere senatum.
O nimium dilecte polo, & venerabilis Orbi,
Italiæ Sol, Europæ cynosura labantis
Ingredere, & studijs famulantibus vtere mundi.
Par caput Orbis habet, Tu dignum hac mente theatrum.
Cladibus afflictas tantis attollere gentes
Tu poteris, vel nulla ferat fortuna salutem.
Perge, age spes magnas, factis maioribus imple.
Quidquid agis, iam Roma stupet, iam Mundus adorat,
Et centum famæ ora sonant. Amplecteris Orbem
Pro Patria, ciues populos, Regesque propinquos,

Quisquis & eximiæ clarescit fulgure laudis
Progeniem CHISIAM censes. Est gloria questus
Aulæ, dona odium, pretijs licitamur honores
Virtutum, supplet censum, genus, omnia virtus.
Gymnasium morum mors est, tacitumque Lycæum
Vrna oculis aperit, Libitinæ sponte tribunal
Inculpatus adis, at letho iudice, vitę
Nil mutasse velis. Terrarum ò Numina quondam
Pontifices Diui, nunc aurea lumina Cœli,
Dicitę: regnorum dum tractauistis habenas,
Num virtus alium præstabat vestra tenorem?
Parua loquor: si mundi iterum regeretis habenas,
Nunc virtus alium pręstaret vestra tenorem,
Laudis ALEXANDER nam prisca exempla secutus,
Nunc noua componit, sæclis imitanda futuris.



HIERONYMI PETRVCCII S. I.

Kalendæ, Nonæ, Idusque Februariæ.



INter ora frementium leonum,
Inter fulmina Cæsarum, cruenta
Ignati Tibi mortis in Theatro:
Quin è fauce vorantium leonum
Nascenti Tibi siderum in Theatro
Dant Natalia Februæ Kalendæ!
Inter murmura Turturum, & Columbas:
Inter oscula Pupuli Tonantis
Ter felix Simeon oloris instar
Concinendo Deum, Deum osculando.

In

In vitæ gremio locas ſepulchrum ?
Ter vitale ſalutis ò ſepulchrum .
Quod Nonæ Februariæ notarunt ,
Hoc natale , Senex , habes ſepulchrum :
In quo vita renata , Mors ſepulta eſt .
His ſe ſideribus ſuis coronant
Et Nonæ Februariæ , & Kalendæ .
Nullo ſidere gloriantur Idus ?
Idus ætheris aſtra non coronant ?
Vno ſidere gloriantur Idus ,
Quo ſe ſecula ſiderum coronant :
Quod Nonis iubar addit , & Kalendis .
Idibus Februarijs , quot vnquam
Heroum optimus , optimo dierum
Natus CHISIVS eſt ! Diem ò beatam !
O cunabula Solis ! O in vno
Senam ſidere ſiderum Parentem !
Romæ filia , grande Matris inſtar :
Romæ filia , viua Vis Parentis ,
Sena Iulia iure nominaris .
Sidus in Fabio paris ? ſalutem
Paris , Iulia Sena . Mille non hunc
Iulium venerantur aſtra ſidus :
Romanum venerantur aſtra ſolem .
Germen nobile , Regiumque ſidus

Quo

Quo Christina volas? Gelu rigentes,
Et cinctos Aquilonibus Triones
Quo Regina rapis? flagrantioris
Solis spicula sentiunt Triones?
Ab hoc ipsa cremaris? Et gelatos
Ante, Solis ab igne nunc flagrantes,
Ad pedes FABII rapis Triones?
Regnorum tria sceptra derelinquis:
Romæ iura, fidemque ne relinquas.
Pari solis ab igne Christianus
Christinam comitatur: Ille magni
Rheni Gloria prima Christianus,
Rhenanas glaciatus inter vndas,
Augustus prius: ardet inter vndas
Augustissimus igne Christianus!
Mundi cladibus vtriusque Magnus,
Largus sanguinis & sui, & suorum
ALEXANDER in Indiam volauit:
Sed velocior inde deuolauit:
Et vidit simul, & reliquit Indos.
Maior Septimus, Vrbium Magistra
ALEXANDER in Vrbe dum moratur;
Conuenitur, & osculis, genuque
Adoratur ab India. Osculatur
Nam pedes Helena altera, Imperatrix:

Con-

Constantinus & alter, Indiarum,
Sinarumque nouellus Imperator,
Absens corpore, Mentis igne præsens,
Supplex filius optimi Parentis
Ter vestigia pronus osculatur.
Sic Sol, natus in Hesperi cubili,
Roma immotus in Vrbe, Vaticano
ALEXANDER ab axe lustrat Indos.
Nil cælestibus ignibus remotum est.
Præsentissima flamma Caritatis
Incendit gelidissimos Triones.
Anni Februa Regna quæ tenetis;
Auroram FABIO dedistis Idus:
Mundi ad sceptra gerenda nunc eidem
Bis denam Trieteridem inchoastis.
Aurora hæc Trieteris inchoauit
Terrarumque, Erebique, Cælitumque
Maiestatis in orbe Principatum:
Aurora hæc Populisque, Regibusque,
Romanoque dat orbe tam remotis
Præsentem Regionibus salutem!
Si hęc Aurora. Datura quid dies est?

HO-

HONORATI LEOTARDI.

SENATORIS NICIENSIS.

Anagramma.

ALEXANDER SEPTIMVS.

SPES, LEX, ET ARA MVNDI.

QVis tandem nobis orando restituet rem?
CHRISTO quis nobis auspice iura dabit?
Hic FABIO maior: SPES hic certissima mundi,
Et LEX, & terris ARA salutis erit.



IACO-

IACOBI ALBANI GIBBESII, M. D. BRITANNI, ODE.



NVnc est canendum, nunc lyra Teïo
Tangenda plectro: nunc genialibus
Mulcere transactos labores
Hora tulit vicibus, Camœnæ.
Diù negatum, carpere lauream
Hortis amœnis; dùm violentior
Afflabat Ascræi vireta
Aura iugi, comitesque fructus.

At

At non maligno Thespia lumine
Dumeta semper Castalius Deus
Aspexit: optatoquè *tandèm*
Damna potens hilarauit Astro.
Regis futuri scilicèt hoc erat
Fatale sidus, Maxime Principum:
Hoc Montium Custodem *auita*
Cernimus emicuisse parma.
O prima mundi secula, secula
Cognata cœlo! Iàm videor boni
Calcare Saturni beatas
Corde hominem superante terras.
Astræa rursùs læta perambulat
Telluris orbem; nuda Fides trahit
Secum choreas Gratiarum, &
Implicitas sine nube Musas.
Quid mirum, vbi altis ominibus cita
Præcessit agmen, culmine Olympico
Delapsa Virtus, vt videret
Ætherei noua monstra Regni?
Tu *mella duris roscida* Quercubus
Manare, Colles tu facis arbiter
Romæquè, Parnassiquè fratres,
Moribus, ingenijsquè iustus.
Per te reuisit prodiga Faustitas

Pa-

Pagos, & vrbes: explicat horreis
Frumenta stipatis in vsum
Alma Ceres, pater & vetusti
Cados Falerni, munera pauperum
Festiua, Liber. Te Duce, candidas
Induta vestes purpurata
Relligio Crucis arma tollit:
Quam ponè flexo lumina poplite
Mundi sequuntur, Cæsar, & ardui
Cum plebe Reges, ad ruborem
Threiciæ opprobriumquè Lunæ.
Quanquàm feroces te quoquè Sarmatas
Spes aggregandi pascit, & vltimos
(Vtcunquè firmàris sequester
Pace Duos placida) Britannos.
Iàm nunc mearum stat Venetus Leo
Sententiarum testis, in asperum
Duratus hostem per cateruas
Sancte, *tuas, pelagiquè vires.*
Testis, rapaces armiger Imperj
Expertus vngues vndiquè vulturum
Ales biformis, cuì serenum
Primus eras aperire cœlum.
His dedicati pectoris artibus
Lucratus orbes, & Capitolia,

In-

Ingens *ALEXANDER*, *triumphas*,
Tergemina redimitus vmbra.
Nos manè Diuos, nos prece veſpere
Longum rogamus ſolliciti Patrem:
Interquè dilectum ſupremus
Ipſe gregem numerere Paſtor.



IACO-

IACOBI MASENII

Soc. Iesu.


D E

S. D. N.

PONTIFICATV MAXIMO,

Augurium

A. CIↃ. IↃC. XL. typis publicatum.



R*Obore longæuo tua* Quercus, *culmine* Montes
Stemma tenent, Stellæ *luce, volatu* Aquilæ.
Nulla FABI; nisi summa tuis Insignibus aptas.
Rectè: viuit adhuc MAXIMVS in FABIIS.

IGNATII BOMPLANI

S. I.

Epigramma

IN DIE NATALI

S. D. N.



Virtutis non fortunæ argumenta futuræ
Exorto Infanti prospera fata ferunt.
Sic tibi naſcenti dederunt inſignia Parcæ
Quercum, Aſtrum, Montes moribus apta tuis.
Eminet è Quercu ſolidæ conſtantia mentis.
Excelſum aſſurgit Montibus ingenium.
Vitam Aſtrum ſignat; præbes nam lumina terræ.
Sed fixus cœlo ſyderis inſtar agis.
An tamen erravi? Fortunæ eſt prævia Virtus:
Fatales orbes hæc notat, illa rotat.

IOAN-

IOANNIS BAPTISTAE NIGRONII CORSI.

Epigramma.

VExit in Ausonias olim bellum Africa terras
Lethiferas Romæ sæpè minata faces.
Reppulit exitium FABIVS, dirumque repressit
Annibalem, & Libycas vertit ab Vrbe metus.
Conscia nascentis perrupit prima diei,
Et suo ALEXANDER subdidit arua iugo.
Roma age festiuas attolle ad sydera voces,
En Asia, en regnis Africa iuncta tuis.
Nunc duce ALEXANDRO, FABIO nunc præside pugnas,
Hic Libyam, Eoas subiugat ille plagas.
Non dirimit tempus, regio non separat; horum
Nomina, virtutem, CHISIVS, omen habet.
Quod gemini fuerant, est CHISIVS vnus: hic orbis
Quantum vicerint vix duo victor erit.

IOANNIS CREVAEI

H I B E R N I

S. D. N.

Sacellani intimi.

Vaticinium

D E

S. D. N.

Pontificatu Maximo.

Cùm Patrum Senatus, ad comitia de nouo Pontifice creando, conclaue ingrederetur.

SEx *tibi maiores liquere insignia* Montes:
Septimus à Superis sufficietur adhuc.
Quod super his senis impendit Montibus astrum,
Phosporus est: oriens Sol procul esse nequit.

Au-

Aurea maturo ſudat ſub pondere Quercus,
Et Ioue plena loqui Chaonis arbor auet.
Parce mihi Princeps dicenti ſtemmatis omen;
Nec vates reputer, ni modo vera loquar.
Septimus addendus Senis *mox* Montibus, *ipſe es;*
Qui mox diceris maximus orbis Atlas.
Succedes Stellæ *Phœbus, ſed lumine tanto*
Quo tetrum ſubito cedet ab orbe chaos.
Vera Dei populis, & ſacra oracula pandes,
Arbor opima, ſolo vitæ alimenta dabis.
Ergo non multum maneant in carcere Patres,
Cùm dicant Superi Maximus *eſto FABI.*



IOANNIS GODVINI PARISINI.

GRATVLATORIVM CARMEN.



QVid iuuat insano frustrà compescere nisu
Gaudia, quæ sensus arcanos clausa fatigãt,
Æstuat ire foras, animo nec se capit ingens
Lætitia exiguo, iam nulla modestia sancti
Pontificis terrere queat, satis hactenus illa
Obstitit, & Musam obnitens tremefecit inertem,
Iam placet audaci decurrere grandia cursu,
Et desuesse metus, iuuat ire per ardua, magnæ
Quò pietatis amor, quò me vocat aura benigni
Numinis, atque altæ cupidum me sistere Romæ.
Quamquam Roma tuos non iam capit alta triumphos,
Spes hominum votumq́ poli, te Christicolùm Gens
Au-

Aurea, te sacri latè canit ambitus orbis,
Conscia ventura per te sibi terra salutis
Commemorat, iam Seres amant, iam laudat Iberus,
Iactat Hyperborei gelidus procul incola ponti,
Inuisique hospes populus contrarius Axis;
Præcipuè vicina tuæ mea Gallia Genti,
Et quæ Gallorum populosa Lutetia princeps,
Lætior, excipiens auida bibit aure decorum
Nomen, & insolitos subitò decernit honores.
Atque hæc se auspicijs dum Pontificalibus ardens
Induit, & festis collucent mœnia flammis,
Pascitur Ausonijs rumoribus, oraque multus
Peruolitas, famæ subuectus in æthera pennis.
Audijt hæc quantus nutu cogente Tonantis
Veneris imperium in magnum, quantaque capessas
Mente datas regni, summis par rebus, habenas.
Quàm tibi mortales pridem præcordia sensus
Exuerint, quàm non inuicta cupido regendi
Sollicitauit agens, sed inexpectata potestas
Contigit à Diuis renuenti oblata secundis.
Scilicet antiquos, secli decora alta vetusti,
Gregorios isti reuehunt hoc tempore mores,
Si quà fata sinant, duroque rigentia ferro
Secula flauescent exemplis aurea tantis:

Vsque adeò cura priscorum imitare sequaci
Facta sacerdotum, quos ætas prima latebras
Longinquas cursu petere admirata fugaci,
Ne caperent populi regimen, mœstosque coëgit,
Et pastorali flentes damnauit honore.
Forsan & obiectis nisi te Conclauia claustris
Arcerent, & Purpurei decreta Senatus
Detrectare vetent, Appenninumque niualem
Mens erat, aut patrios Senæ penetrare recessus.
Verùm absens quæ longinquo fulgore potestas
Perstrinxisse oculos, propiùsue oblata nequiuit,
Fortiùs imposito præsens non cepit honore
Indociles flecti sensus & nescia falli
Pectora: nam simul ac Romana potentia curis
Est permissa tuis, venturæ mortis imago
Dira subit, miraque animi domat arte tumores,
Si qua superbifici moueant spectacula luxus.
Non te qui mentes hominum gratissimus error
Spe rapit in vetitos ægris mortalibus auctus,
Fallit, & immensis inuoluit pectora curis;
Sed tibi cura prior, quo Pontificale cadauer
Claudatur ligno, tristes aptatur in vsus,
Cedrus secta, graui simul altera theca metallo
Te mandante venit, vili subdenda grabato.
Felix ille, dies quem non terrore supremus

Conturbat, mortis fouet instrumenta propinqua
Impauidus, non ille putris squallore sepulchri
Terretur, vermisque minas horrescis edacis.
O mihi si liceat non expauisse pudorem.
Alme tuum Genitor, si qua vaga dicere fama
Ardet inexpletùm, pariter mea Musa referre
Audeat, ò quantos mihi Musa sonaret honores.
Ne tamen ò, ne perge tuis contendere frustrà
Magne parens titulis, meritæque resistere famæ,
Ipse tibi nimiùm satis hactenus inuidisti,
Cùm fortuna prior priuata sorte beatum
Texit, & à tanta semotus luce latebas.
Nunc radijs opus est, nunc totum admittere Phœbum.
Fas tibi, quin tenebras odit, tantusque videri
Gestit apex, tuus in nostros accenditur vsus
Fulgor, ab excelso qui monte renideat Orbi.
Ergo age, quando facem dextra vibrante coruscam
Attollis nobis, obuerso lumine contrà
Quid vetat infusæ splendorem haurire diei,
Quid vetat exemplis oculos inhiare sequendis,
Officijque sacras de te condiscere leges.
Nam tibi non animos mollis sententia palpat
Degeneres; non illecebris obnoxius vllis
Ambitiosa foues sub pectore vota tumenti,

Per-

Permiſſas nec opes ſentis, niſi dextera quantùm
Profundit (miſeris mortalibus vtile damnum.)
It Vaticani ſacro de vertice torrens
Aureus, & Romæ latè diteſcit egeſtas:
Quod faſtus conſumpſit opum, quod inutile pondus
Sæpè fuit, fatis ſparſum melioribus, ecce
Inualidi legere ſenes, viduæ, orbaque proles,
Et vaga truncatum reptans per compita vulgus.
Quiſquis inops affinis erit, naturâ queratur
Interea, & ſpreto pro ſanguine ſuſcitet iras,
Naturam calcare iuuat; conſueſce videre
Roma nefas gratum ſuperis poſt ſecula longa.
Quid memorem eiectas ſacro de limine Petri
Delicias, faſtumque, & inanis munera luxus.
Iam caſtigatę ſublata licentia pompę
Contemptum perſuadet opum, te vindice iura
Florent, & ſenij decus emendata reſumunt.
Bis quater affatus populo præbere querenti
Menſe iuuat, miſſoque pericula milite ceſſant
Vrbana; & poſito ridet pax alma tumultu.
Sed quę pax Vrbi per te data, detur & Orbi.
Hoc age, namque potes, pacem intermortuus Or-
bis
Affuſus te poſcit. inops Europa ſalutat
In primis te paciferum, nec certior vnquam
Ve-

Venit Atlantiades ad nos Caducifer astris.
Hoc age, Magne parens, si non indebita fatis
Dona tuis petimus, tardæ si pignus Oliuæ
Te dedit irati subita indulgentia Coeli.
Tu verò duros hominum miserate labores
Christe, tuo dictam qui seruas nomine gentem,
Hunc finem longis meditantem ponere bellis
Ne saltem prohibe, satis hactenùs impia nostris
Cladibus exercent vltrices secula pœnæ:
Et quamuis pridem meritis est debitus astris,
Fac longum inuideant caput expectantia sacrum:
Hoc rebus serua humanis, hoc terra fruatur
Restaurata diù, longæuo munere felix.
Salue insperatum lapso decus addite seclo,
Præsidium euersis vnum sperabile rebus,
Magne parens, huc dexter ades, cœloque iubente
Aggredere ingentes terraque volente triumphos:
Sic tibi paciferas quocumque intenderis vlnas,
Obuia cuncta ruant celeri procliuia cursu,
Nulla tibi faciles renuat plaga iungere dextras,
Seu petis auulsos in auitum foedus Eoos,
Seu cupis Arctoos persanauisse furores,
Consociaturus Germanica castra Latinis,
Siue iubes Reges positis agere otia bellis,
Christiadumque pati sacrum requiescere vulgus,
Om-

Omnes extemplò coëant in fœdera dextrę :
Non Rex, non populus diro quem schisma tumultu
Abstulit incautum , non quem rapit auius error
In tenebras odijs succensum pectus amaris ,
Romani nexus cunctetur inire parentis .
Quod si aliquis cui robur & æs pracordia triplex
Ambit , sudatæ munus contemnit oliuæ ,
Victricis forsan Lauri securior vmbra ;
Exere terrificos Romani fulminis ignes ,
Ignes ; quos nequeat vel Laurea sylua cadentes
Sistere , non Erebi fatales frangere portæ .
Interea Pater Æquæua cum prole per Orbem
Omnipotens sacra iura dabunt ; Canis intùs hianti
Ore triceps , rictus frustrà exercebit inanes
Impatiens mitti nullas ; quas mordeat , vmbras .
Et quæ dedocuit sumptis Mars impius armis
Otia , Cana fides cum Relligione reducet ,
Saeculaque æternam discent felicia Pacem .



IOAN-

IOANNIS LOTTI

AD

S. D. N.

De Capſa plumbea, ſibi in feretrum præparata.


Epigramma.

CVr tibi funeream penetralibus inſtruis vrnã,
Aſperat & Latios horrida gaza lares?
An ſemper foueam tibi vis adſtare patentem,
Vt moueat tutos conſcia planta gradus?
Captiuamque vetas abs te diſcedere mortem,
Ne, ſi te fugiat, mox inopia petat?
Hæc bene: ſed grauius calcar latitantis honoris;
Quo fremis impatiens, flebilis arca fouet.
Obiectu tumuli Sacrum meditare ſepulchrum,
Quod Thrax ſacrilega ſub ditione premit.

IOANNIS LVCARI
S. I.

In tabulam, quæ Atho montem in Alexandri Magni ſtatuam efformatum exprimebat.

Epigramma.



QVam bene Pellæum iuuenem, qui culmina captat
Regnorum in terris, exprimit altus Athos:
Te quoque, qui montes gentilibus inſeris aſtris
Maior ALEXANDER, montis imago decet.
Sed quia ſublimi tranſcendis vertice nubes
Vera tuæ effigies mentis Olympus erit.

IOAN-

IOANNIS ROTGERI TORKII

Canonici Monaſterienſis, & Mindenſis.

ODE.

In

S. D. N.

Feliciſſimum Natalem, iam olim ſcripta.

PAnde natales Heliconis umbras
Dulcis Euterpe, fidibuſque miſta
Voce, Pimplæo madidum lepore
Dic, age, carmen.
Bina Parnaſſi iuga gratulante
Annuant lauro, genitrixque docti

Fon-

Fontis, extundat caua largiores
Vngula succos.
Vltimas brumæ fugientis Idus
Phœbus æternis reuehit quadrigis,
Prima nascentis quibus ora CHISI
Vidit, & arsit.
Mox nitens frontis iubar, & coruscos
Regij currus geminauit ignes;
Fluxit inuersa Ganymedis vrna
Nectar, & aurum.
Mater Heroum, genitrixque Diuùm
Rite solennem venerare lucem
Sena, quæ magni tibi prima risit
Conscia partus.
Adstrepat lætis vagus Vmbro lymphis,
Certet Vmbroni Padus, & loquacis
Incolæ stagni, geniale cantent
Carmen olores.
Martiæ pubis Melite palæstra,
Cladis extremæ mora, quam ruentis
Rebus Europæ prope plena Thracum
Luna minatur.
Hic dies semper tibi festus, ære
Bellico flammas vomat innocentes,
Classis

Classis inuictæ fremat omne ludis
Littus, & æquor.
Canus Alpina niue Rhenus *vdos*
Palladis ramo cohibens capillos,
Iusta suadentem memoret sequestrum
Otia Pacis.
Chisio *puris* Amasis *fluentis,*
Chisio *segni putris* Alpha *stagno*
Plaudat, & sperni Mimigarda *gaudens*
Carmine vatis.
Roma terrarum caput, vna magnis
Quæ pares reddis Fabijs *honores:*
Fallor? an crescens latet in virenti
Maximus *herba?*
At Sibyllinos aperire libros
Mitto: secreto properet meatu
Ordo fatorum, tacita futurum
Nocte prematur.



IOSEPHI MARIAE SVARESII
Episcopi Vasionensis.

Epigramma.



SEptimo ALEXANDRO lætatur Præsule Roma
Plausibus & septem personuere iuga:
Parnassus bifido reboat quoque vertice; Musæ
Certatim pangunt carmina, Phœbus ouat.
Sed mage lætatur sperans Ecclesia, Regum
Quod bene qui cœpit fœdera perficiet.
Pellet & infestos Dictæo à littore Turcas,
Hæreticosque suum coget adire sinum:
Hoc duce vernabit pietas, hoc auspice Diuis
Et Musis priscus restituetur honos.

IOAN-

IOANNIS BAPTISTAE RVFI *FIRMANI.*

ODE.

EHeu proteruis inclyta fluctibus
Iactatur alto puppis, & vndique
Vrgetur immani periclo
Indomitis agitata ventis.
Septemtrionis filius impotens
Bacchatur Arcto, & digladiantibus
Vna Notoque Euroque feruet
Velinoris pelagus procellis.
O quid paras Rex, qui mare, qui polum
Nutu regis? Num diffluit irrito
Sancita iussu lex Tonantis
Consiliumque senescit æuo?
Petri ruinis obruta mergitur

Quà regna lucis Terrigenæ petunt
Compage fracta Nauis Orci
Spernere cui rabiem dedisti.
Depone inanes sollicitudines
Quisquis tenacem propositi Deum
Vexas querelis, quæ hic iubet, stant
Imperio stabilita certo.
Credis supinum Numen? At occupat
Te somnus, almæ nec sapientiæ
Miraris artem: per procellas
Christiadùm properat carina.
Qua vectus olim est, expedijt metu
Cæsar triremem, gurgitis horridi
Ratem hanc ALEXANDRO *regente*
Impauidam iubet esse Numen.



IVLII

IVLII ROSPIGLIOSII
Archiepiſcopi Tarſenſis.
S. D. N.
Secretarij Status.

Anagramma.

ALEXANDER SEPTIMVS.
PETRI SEDE LVX MANAS.

LVx Mundi Deus eſt; Mundi lux Petrus; vterque
Vaticanæ Orbem Sedis ab axe beat.
Regnat ALEXANDER Petrique è Sede, Deique.
Sede Petri manans lux noua in Orbe micat.
Quale iubar recti? quæ fax pietatis? honeſti
Quale decus? quantus Relligionis amor?
Omnis ALEXANDRI lucem plaga ſenſit, & arſit.

Illo omnis, Soli deuia, terra calet.
Lux non vna micat, lucis fons vnus ab vno
Manat ALEXANDRO, quæ micat orbe dies.
Ergo Petri è Solio, quæ lux terrisque, poloque
Manat ALEXANDER, aut Petrus, aut Deus est.




LAV-

LAVRENTII A ROSA

Anagramma.

ALEXANDER

SEPTIMVS.



SVM PAX LÆTA REDIENS.

QVæ fugiens olim feruentia bella per Orbem
Deserui Terras addita Cœlitibus
Nũc ad Vos REDIENS adSVM PAX LÆTA Quirites
Regnat ALEXANDER, regnat & alma quies.
Septimus hic Præsul septenis Idibus ortus
Septima lux, requies sic fuit ipsa Deo.

MATTHIAE NALDII
S. D. N.
Medici intimi.

Alexis.

Ex *Psalm.* 86. Fundamenta eius in Montibus Sanctis.

Tityrus.  Alcon.

T. *TVtum iter ad Superos. læto sub Sidere Montes*
Aurati assurgunt, aditumque ad sidera monstrant.
Dodonæa nitet cœlo contermina Quercus,
Cuius, Pastores recubant, plauduntque sub umbra.
Iam colitur populis arbos dilecta Tonanti,
Certaque, diuina flante aura, oracula reddit,
Innocuæ postquam gemitus pressere columbæ.
Nos

Nos nostri immemores, & aprico in gramine segnes
Spectamus steriles ornos, tacitique sedemus,
Idæasque pices miscendo, & sulphura viua
Nitrata scabiem pecori detergimus vnda,
Helleboroque graui potius depellere curas
Quærimus, & tristem scylla curare veternum,
Quàm choreis, dulcique sono sylvestris auenæ.
A. *Muta diu quamuis & puluere sordida multo*
Sit mihi canna, tamen meditabar fundere, læti
Intima quos animi dictarent gaudia versus.
At veluti Phœbi radijs immersa nitentis
Astra latent, media late fulgentia nocte.
Vt decus & nomen deponere flumina ponto
Hausta solent; ita carmen iners sine diuite vena
Diffluit, & numeris mea fistula stridet ineptis.
T. *Nil miror: nam quæ resonet tam dulce cicuta*
Vt non raucescat subito, cum laudat Alexin?
Tu ne cede, Alcon, forsan meliora sequentur
Carmina, dum cantas, aderitque vocatus Apollo.
A. *Montibus in sanctis fatorum prouidus ordo hæc*
Fundamenta dedit: Romanam Iuppiter Vrbem
Quippe amat; hinc alias tantum supereminet vrbes

Quan-

Quantùm humiles superat quercus longæua myricas
Circæos quantùm colles excedit Olympus,
T. *Debita Romuleæ, reor, hæc sunt præmia genti,*
Nam calcat virtutis iter Ioue digna propago.
A. *Ægon, si memini, senior narrare solebat*
Quisquis amas votis opulenta & pinguia rura,
Ad montes propera curuum conuertere aratrum.
Hic putres glebas exerce, & dirige sulcos,
Vnde breui surgent, quæ rumpant horrea, messes.
T. *Hæc, cogente Deo, ceu credunt, dixerat Ægon*
Secla monens reditura olim Saturnia: postquam
Flaua Ceres iam culta diu sua dona negasset,
Et lolio redimita comas informis Egestas
Desertasque Fames viduasset ciuibus vrbes.
A. *Expectata dies venit. generosus Alexis*
En pingui glandem spica mutauit auitam.
T. *Nunc scio, nunc tandem querna cur fronde priores*
Signarent meritos seruati ciuis honores.
A. *Obtulit ipse vltro, qui deuorat omnia, pontus*
Illius Imperio fruges, quas terra negabat.
Namque suos pater Oceanus docuisse iugales
Ferre iugum in morem taurorum visus, & alto
Littore fœcundis committere semen arenis.

Hunc

T. *Hunc si nouit Arabs, si late barbara Tethys*
Purpureo frontem consperſa nitore coruſcam,
Si inter ſaxa ruens, & ſacra piacula reddens
Murmure non dubio Tybrim veneratur Orontes:
Tygris & Euphrates rapida ſi turbidus vnda
Per latos Babylonis agros effunditur, atque
Threïciæ Lunæ fulgorem obtundit, & vrget
Supremæ radijs obnoxia cornua lucis:
Ipſe aderit memor Omnipotens, & mœnia Romæ
Condita per varios caſus dabit vſque tueri.
Ipſe etenim populos alieno ex Orbe ruentes
Transferet in campos Latios, rigidaque ſub Arcto
Natos excipiet Pietas. Tyriuſque bilinguis
Auſoniam viſet mentiri neſcius Vrbem,
Æthiopumque genus recto ſub Sole calentùm.
A. *Non licet hic volucres viſcata fallere virga*
Non calamos inflare leues, alienaque poma
Excutere, aut meſſes curua præcidere falce:
Sed potius claros gelida deducere ab Arcto
Virtutis radios, vt Spicea Virgo rependat
Heſperiæ luctum infandum, cladeſque vetuſtas.
Non ſæui hanc celebrem ſatient incendia belli,
Non cædes: humili ſed enim ſub corde receptum
Sidus, quod Latiæ fulget Cynoſura carinæ.

Nam

T. *Nam Deus est, mihi crede, Deus, qui congregat, & qui*
Pascit oues, qui ditat agros, qui armenta quotannis
Fœcundat larga sobole, & qui mœnia condit.
A. *Extento nunquid veluti cum cespes in agro*
Erumpit, propter quem nascitur alter & alter,
Vt Briareus agri contra se tollere celum
Audeat extendens ramos in brachia centum.
Tu pariter credis dum dicitur alter & alter
Natus homo, Ausoniæ quoq; condita mœnia Romæ
T. *Dius amor, benesuada fides, & conscia recti*
Mens vrbes late, populorum & commoda profert.
Vbera nunc Pietas distenta, & prodiga Virtus
Exertat, panditque sinus, quæ causa pudicis
Virginibus regum natales linquere sedes,
Figere quo valeant sacratis oscula plantis.
A. *Pastorum populique ferax ea fama loquetur*
Et querno excisum tradetur cortice in annos
Venturos factum, crescentes verba sequentur
Ramos, atque æuo leget hæc frondator in omni.
Otia nunc suauesque animo versemus amores.
Omnia rore madent cælesti, vbi dulcia sacræ
Mala ferunt quercus, & fluminis impetus Vrbem
Lætificat, senisque cadunt de Montibus vmbræ,
Quæ pecori auertant æstum pecorumque Magistris.

MAXIMILIANI
Episcopi Litomericensis.

Epigramma.

NVper erat, FABIVS, tibi nomen, maxime PRINCEPS:
Nunc, & ALEXANDRVM, te, tua ROMA, vocat.
Omnia MAGNA, parat tibi COELVM: consule NOMEN:
Magnus, ALEXANDER: Maximus es, FABIVS.

EIVSDEM

Qui FABIVS fuerat nuper, nunc MAXIMVS idem est:
(Incipit, en iterum, ROMA, redire vetus,)
Qui FABIVS fuerat, factis, & nomine, nuper:
Par erat, vt pariter, MAXIMVS, ille foret.

NA-

NATALIS RONDININI

S. D. N.

Ab Epistolis ad Principes.

Ad Stephanum Abbatem Gradium.

Responsio.

Ad Catulli stylum.

SI *mihi quæ dextro tibi numine sæpe vocantur*
Auxilio blandi carminis Aonides
Dictarent, quod nec, seris venientibus annis,
Oblito doctorum effluat ex animo;
Nec præsens ætas, atroque imbuta veneno
Infelix ausit deterere inuidia;
Supremæque fauillæ, & nigri funeris expers
Effugiat taciti temporis insidias;
Docte Gradi, mihi quem dulces ante omnia Musæ
Iunxere, & puro pectore culta fides;

Et

Et facilis vis eloquij, queque aurea mentem
Formauit dictis Attica suada suis;
Non sperem titulos, non laudes ire per omnes
Maximi ALEXANDRI, aut inclyta facta virùm
CHISIA queis stat fulta DOMVS, quos viuida virtus
Extulit, aut propior sideribus pietas.
Nam cui vel tantum præsens facundia, tantumq́;
Idem hominum dederit, cœlicolumque potens,
Egregias laudes, æternaque facta referre
Vt queat, & meritis versibus æquiparet,
Ille etiam, quà desertas Libye inuia terras
Brachiaque Europe porrigit Oceano,
Angusto quas diuulsas absorbet hiatu,
Et breuis Herculeo diuidit vnda freto,
Quos male contempsit præceps audacia fines,
Nec timuit vetitas lethi aperire vias.
Enumeret, quot vicinæ tundantur arenæ
Fluctibus, euersas cum ciet Eurus aquas;
Aut quot vere nouo submittat Dædala flores
Aura Cytheriacis incolà littoribus.
Quis dicat Tuscas latè data iura per oras,
Æquoraque Herculeæ supposita speculæ?
Aut Macereti molli surgentia cliuo

Mœ-

Mœnia, & antiquis addita tecta iugis?
Heroum tellus olim fœcunda, vel armis
Vel pace egregium qui peperere decus!
Nunc tenues ibi relliquiæ vix nomina seruant,
Lentaque pastoris fistula cogit oues.
Inde tamen missi, qui cœli ingentia templa
Et Diuùm cœtu limina concelebrant.
Felices turres, queis olim pauper arator
Et saluis faciet frugibus agricola.
Ecquis opes, cœnasque deùm, quà se atria tollunt
CHISIA Pompeijs æmula porticibus?
Quas subterlabens miratus Tybris ab amne est,
Credita dum celeres gaza moratur aquas,
Eque imo siluas speculatur, & aurea tecta,
Et pictos lusus ò Galathea tuos;
Artis opus miræ, pelago quam semifer omnis
Tritonum insequitur, Nereidumque chorus.
Ecquis regifico constructa altaria luxu
Et ductas Libyco è marmore pyramidas?
Quæ sub ALEXANDRO priscum monumenta nitorem
Cœperunt, ac turpe exuerunt senium.
Tot curas inter, terrarum & publica vota
Non hæc præterijt prouida mens animi.
Quin & Niliacos moles imitata labores
Castia,

Castia, par tumulis barbara Memphi tuis.
Hoc rerum domino vastis egesta ruinis
Non debet fatis tristibus interitum.
Nec solum antiqui redeunt hoc Principe mores;
Antiquum sed cum moribus omne decus.
Sit clarus licet ille, & quà sol aureus exit,
Et quà se canæ Thetij restituit;
Illius & latè referat nomenque decusque
Cognatas inter Naiadas Eridanus.
Eridanus, cuius cycnos hoc fama canente est,
Attonitos medijs conticuisse vadis;
Quæque viris armisque potens sitientia contra
Insula desertæ littora stat Libyæ;
Et Mosa & fumans ciuili sanguine Rhenus
Ingentes titulos & benefacta ferant.
Non reticenda tamen, functi æternas quibus ipsi
Heroes grates pro studijs soluūnt.
Ille vel in teneris, cum iam pubesceret, annis,
Atque ætas primum viuida ver ageret;
Postquam animo sibi regnandum peragrauerat Orbem,
Ortaque de primis omnia seminibus;
Et propiore Deum spectarat lumine, quantùm
Mortales fas est tendere contra oculos,

K Mul-

Multa satis lusit, norunt siluaque, lacusque
Muscosisque cadens Arbia pumicibus.
Quaque viri indignum lugens Cornelia fatum
Hospitij testes numina poscit opem.
Nec curas inter iuuenilia carmina Musas
Dimisit fessi delicias animi:
Siue etenim vastum remis impelleret aequor:
Seu longum terris ire opus esset iter;
Adsuerunt semper faciles ad iussa sorores;
Et quamuis medio tenderet ille mari,
Alpibus & quamuis, Alpes illae, & mare saeuum
Fontibus & sacris antetulere iugis;
Et loca nunc culto relegebant singula versu,
Nunc fera damnabant munera militiae.
Quin scrutaretur dirum cum viscera ferrum,
Et lethi inficeret pallidus ora color;
Qualis Maeandri ripis, aut Asia cycnus
Dum ludit pennis per vada purpureis,
Pectora transfixus, liquido de gutture voces
Elicit, ac gemitus littora pulsa iterant.
Inspectans coelum, & tristes solatus amicos
Lenibat numeris vulnera flebilibus.
Intereà trepidos versans sub corde timores,
Adstabat Diuis vota ferens Pietas,

Et nunc muta metu, misero nunc perdita luctu
Tendebat supplex brachia coelitibus,
Ne fessis olim missum succurrere rebus
Ante suum raperet mors violenta diem.
Sed iam pone metus Pietas, en Maximus orbem
Sospes ALEXANDER temperat imperio.



NICOLAI MARIAE PALLAVICINI S. I.

ALEXANDER VII.

Inſcribi iubet in numiſmate illud Apoſtoli:

Viuo ego, iam non ègo.

Epigramma.

QVàm bene non viuis dum mens tua grandior Orbe
Non vltra Fabij membra, ſed orbem, animat.
Subdita corporibus mens eſt, quæ in corpore viuit,
Quæ ſupra corpus, corpora cuncta regit.
Aligeros, ſine corporibus, natura creauit,
Vt melius cœlum, ac aſtra mouere queant.

Quod

Quod Diuis natura dat, hoc tua dat tibi virtus:
Vt melius muñdum, Tu quoque Diue regas.
Quàm benè cœlicolis Rectoribus astra reguntur.
Ergo Tu terris, tàm benè Rector eris.

EIVSDEM

Ad Pontificatum inuitus aſcendit.

QVare alias terras: nato dixiſſe Philippum
Fama refert, non te Græcia noſtra capit.
Græcia ALEXANDRO, Fabio non ſufficit Orbis.
Ille vno, cunctis maior hic imperijs.
Græcia quo minor eſt, Magnum ſi fama vocauit,
Quo minor eſt Mundus, dic mihi, quantus erit?



PETRI MARIONI

Episcopi Thelesini.




OMnipotens rerum genitor, qui lege perenni
Tempora dispensas mortalia, quoque iubente,
Nunc honor, & virtus concordi fœdere iuncti
(Esse solet quorum contraria sæpe voluntas
Non sine concussi numerosis cladibus Orbis.)
Conuenere pares, & in vna sede morantur,
Celsaque laudato gaudet Rectore potestas;
Exaudi, & precibus facilis, precor, annue nostris,
Quod populi pia vota petunt, quod Roma precatur,
Totus concordi quod murmure supplicat Orbis,
Tergemino FABIVM redimitum stemmate crines
Inter ALEXANDROS numerat quem SEPTIMVS ordo

No-

Nominis huius habet, sed Etruria docta secundum
Pontificemque dedit Quintum tibi Roma Senensem.
Christiadùm populis, & magnæ Ciuibus Vrbis
Incolumem seruare velis; non ambitus illum
Extulit, aut fraudes, aut gratia vana potentum
Ad solium (scis ipse) Petri duxere verendum.
Vna Viro virtus dux extitit, vna superba
Atria, summorumque aditus patefecit honorum.
Tu mihi magnorum laudes celebrare virorum
Quam iuuat, & claris arcere obliuia fastis,
Musa refer, tanta attulerit quis gaudia terris,
Et tibi tàm sanctum donarit Roma Parentem,
Cuius opes miseris alimenta petentibus adsint,
Qui sese populis Patrem, viduisque patronum
Exhibeat contra insidias, atque arma potentum,
Qui vetet indignis titulos accedere sacros,
Et scelerum sontes extolli ad culmina rerum;
Arceat innumeras fraudes, & mille rapinas,
Mille nocendi artes, quas toto sparsit in orbe
Auri sacra fames, & nunquam expleta cupido;
Vnde fit, vt multis structas in cordibus aras
Arcanumque habeat funesta pecunia templum,
Et nunquam nigri claudatur ianua Ditis,

Transmittatque animas Erebo sine fine nocentes,
Auri fecit Amor quas escam Acherontis auari:
Subleuet afflictos, & ad Orcum bella releget,
Pacis & optatæ det gentibus otia fessis,
Impia quas stimulis agitat Bellona cruentis,
Dum consanguineos armat discordia Reges;
Qui pro lege Dei sit murus ahëneus alma,
Sit SYDVS sacri splendens in vertice MONTIS,
Sit QVERCVS summis contingens æthera ramis,
Sit tuba per populos Orientis, & vltima latè
Bactra, Crucis signum resonans venerabile, & vltra
Proferat imperium Christi Garamantas, & Indos.




AB-

ABBATIS STEPHANI GRADII ODE.

AD NATALEM RONDININVM S. D. N.

Ab Epiſtolis ad Principes.



VNica Pieridum, Natalis, cura Dearum,
Cui Vaticani peruia
Interiora adyti penetralia fecit in altò
Firmata virtus pectore,
Cuius ALEXANDRI quoties ſententia doctò
Prodijt ab ore Maximi

Nil

Nil est, quod Latium tumeat Cicerone, fuiſſe
Facunda alumnis Græcia.
Clarus Apollineo me nunc à numine vertex
Soractis antiqui tenet
Vrbanæ ſtrepitum fugientem, & iurgia turbæ,
Iuuatque de minantibus
In cœlum ſcopulis illinc nemora alta, domoſque
Ferarum opacas cernere,
Hinc variam cultu ſegetem, glebaſque Sabellis
Exercitas ligonibus,
Et latè in Latios animum diſpergere tractus.
Quam læta vitis arduis
Fuſa cacuminibus virides hìc ſurgit in vlmos!
Quàm flaua ariſtis æquora,
Quàmquè ferax oleæ collis, quàm lacte capellis
Diſtenta ſemper vbera,
Quàm priſci mores hominum, quàm numine mulcet
Auras benigno Iuppiter!
Sed me non facies rerum pulcherrima, nec tàm
Amica Muſis otia,
Quàm veterum capiunt quæ paſſim ingentia Patrum
Viſuntur hìc veſtigia,
SYLVESTRI magni latebræ, quibus ille potentũ

Vita-

Vitauit enses impios,
Haud passus perfiisse manum, quæ cuncta priorum
Abominanda numinum
Vnius adspersu mendacia perderet vndæ.
Quid tibi repostos inclytæ (duro
ROMANÆque specus memorem, contemptaque
Præ silicis atri tegmine
Sceptra olim Ligeri latè dominata superbo.
Saluete rupes aureę
Proxima cœlitibus sedes, saluete quietę
Secura mentis gaudia.
Vt mihi iam regum laqueata cubilia sordent,
Aurata sordent atria!
Nec moror extremus quidquid sub diuite fluctu
Hermusque voluit, & Tagus.
Sed me ne vestris reliquos in cotibus annos
Nemorum colonus exigam
Aurea desuetas redeuntia sęcula in vrbes,
Vetantque cum sororibus
Iustitia, & pietas cœtus dignata frequentes,
Certantium se candidos
Ad sui ALEXANDRI populorum fingere mores,
Et se probare ingentium,
In tanto faciles dederunt quę Principe Diui
Non

Non immerentes munerum .
Ille sibi rigidus , sibi inexorabilis vni
Nihil remissi in arduo
Pectore , nil patitur laxi , per dura laborum ,
Curasque rerum Maximus ,
Atque hominum gaudet Princeps audire , Paterq́.
Nemo obsequentis acrior
Fortunę illecebras calcare , aut falce tremendę
Necessitatis vltimę
Immanes vultus animo spectare sereno ,
Orando nec pręsentior
In superùm iratis extinguere fulmina dextris .
Ahena non si vox mihi,
Non centum ardenti resonent si gutture linguę ,
Merentis ad pręconia
Sim satis, & laudes valeam me effundei e in omnes .
Per montium & quisquam iuga ,
Per saltus , fluuiosque , ac deuia rura vagetur ,
Virtutis vt vestigia
Iamdudum exosę terras fugientia captet ?
Cum quanta fulget arcibus
Ætheris in summi, Diuumque in honore superbit,
Se Vaticani in aureo
Explicuit solio , pręsentiaque ora beatis

Fruen-

Fruenda dat Quiritibus.
Teſtis Hyperborei dominatrix Virgo profundi,
Quę diuitem tot inclytis
Regnorum ſpolijs, domitoque Aquilone tumentem
Contemnere auſa Regiam,
Hujus ab adſpectu properat ſplendeſcere lucis.
Quas tu frementis vndique
Lętitię voces mirabere? qualia cernes
Feruere per vrbem gaudia?
Supplice cum Latias ſe poplite ſiſtet ad aras,
Summique prona Antiſtitis
Accidere ad ſacrę ſpectabitur oſcula plantę
Littoris Amazon Baltici,
Cuius ab inuicto Germana per oppida Marte
Vibrata nuper fulmina
Arduus à tumulo ſtupuit ſeptemplice Tybris.
Nec illa ſolam Palladis
Ægida belligerę plauſu cum gentis, & auream
Tractare docta cuſpidem.
Sed placidas animum Diuę exercere per artes
Ponentis interdum horridam
Gorgona, perque hilares blandùm gradientis Athe-
nas,
Doctoque Phœbi in puluere
Primum Caſtalias inter decus ire Puellas.
Hanc

Hanc tu Boote ab vltimo
Anxia tollentem patrię in caligine nubis
Meliorem ad Arcton lumina,
Imaque diuinis vstam pręcordia flammis,
Æterne vates, Optimi
Inter ALEXANDRI *decora olim ingentia ple-*
ctro
Fęliciore concines,
Cum restincta breui totum fera bella per orbem,
Centumquè dices ęnea
Custodem pacis cohibentia robora Ianum,
Italisquè Thracem viribus
Infractum, & patrię deiectum à culmine sedis
Scythico latere in angulo.



INCERTI

Epigramma.

Artes mulcendis animis opportunas ad ſacros Principes maxime pertinere.

Rex, Paſtor, Vates, tria functus munera Dauid
Cor potuit Dominì demeruiſſe ſui.
Paſtor ALEXANDER, Princeps, Vateſque viciſſim
Dilectus ſuperis tempora noſtra beat.
Tempora multiplices poſcentia Dauidis artes,
At mage quę Regum corda furore leuant.



Aliud

Aliud Incerti.

In tabulam pictam à Petro Berettino Aulæ Vaticanæ parieti affixam iussu ALEXANDRI SEPTIMI PONT. MAX.

SVb Vaticanę celsis laquearibus aulę
Artis Apelleę nobile fulget opus.
Apparet medio supremum numen Olympo,
Quod mouet ęterno cuncta supercilio.
Illius imperio dux aliger arcta catenis
Cogit ad infernos horrida monstra lacus,
Lustratisque refert felicia sęcula terris,
Quas Pax, quas habitet relligiosa Fides.
Vt iuuenis spirat facies generosa, comasque,
Et chlamydis laxos ventilat aura sinus!
Quàm propè fatales tremit ardua bellua ad ictus,
Pressaque sub dura compede membra quatit!
Vnde hoc ingenij tantum tibi pictor, & artis?
Quę mouit digitos docta Minerua tuos?
Principis vt nostri speciem, simulacraque mentis
Posses tam veris reddere imaginibus.

Ille

Ille premit grauibus ſcelerum portenta catenis,
Et rapido Stygias ille agit igne feras.
Æthereum iuuenem, ſolem qui lumine vincit,
Ingenio & niueis moribus ille refert.
Ille ſerenato præportat gaudia mundo,
Et reuehit populis otia læta ſuis:
Sed tabula vt ſpiret viuis animata figuris,
Quas mira finxit ſedulus arte labor;
Non tantum tamen eſt opere, egregioque labore,
Exemplo quantum eſt nobilis illa ſuo.

Aliud Incerti.

In illud Apoſtoli dictum;

Viuo ego iam non ego.

S. D. N.

Iuſſu numiſmati inſcriptum:

EX *FABIO nihil eſt, veteris niſi nominis vmbra.*
In CHISIO CHISIVM cernere nemo poteſt.

Restat ALEXANDER, sed vix: Nam Principis vnas
Hic retinet curas, coetera Christus habet.

Aliud Incerti.

Eiusdem argumenti.

POstquam longaua saclis confecta senecta
Proxima iam sensit funera solis auis,
Ditibus Arabia siluis, & messe Sabaa
Ipse suam Phoenix construit ante pyram.
Inter odoratos illic compostus aceruos
Se pariendo perit, se pereundo parit;
Pulchrior at fausta de clade renascitur ales,
Idemque atque alius pullulat igne rogi.
Fallor? an iste tuam, Princeps, rogus indicat vrnam
Qua dum Te tumulas, altera fata nouas?
Viuo ego, iam non (inquis) ego; pars ima sepulta est,
Pars melior viuit sacula digna Deo.

In-

Incerti.

In diem Natalem.


VEnit ALEXANDRI natalis. Supplicet aris
Turba frequens. flammis fumet acerra pijs.
Nec cithara sileant, citharis nec carmina desint:
Hùc age qui cithara, carminibusque vales.
Vos quoque, felices anima, pia nomina, Vates,
Quos Latium, quos & Gracia terra tulit,
Seu vos aeternùm retinent Parnassia Tempe,
Seu choream in silua ducitis Elysia,
Quandoquidem manes ìma tellure repostos
Arte ferunt, vìui quam coluere, capi;
Cingite fronde comam, & Troia, Thebisque relictis,
Natalem magni concelebrate Patris:
Et dum, viuat io, *resonamus: amabile carmen*
Integret Elysium, Pieriumque nemus.
At vos, Aonides, quarum sub numine sacro
Laeta virent docta iugera Castalia,
Flectere queis animos, & inexorabile pensum

 Par-

Parcarum cithara , carminibusque datum est ,
Si puerum arcana faciles fouistis in umbra ;
Si iuuenem pura sæpe rigastis aqua ;
Illius ob carmen nostri si gloria sæcli
Tollit se vestris ardua verticibus ;
Si plausum tripodes , vocaliaque antra dedere ,
Cum Deus hunc magnum misit in imperium ;
Dum lucem hanc colimus , cantu , fidibusque fauete ,
Ac pede , res agitur vestra , fauete Deæ .
Fallor ? an excitæ veniunt ad sacra sorores ,
Fronde coronatas expediuntque Lyras ?
Et numeris certare parant ? Certaminis huius
Signa dat è summo Calliopea iugo .
Ergo diem faustis celebremus nos quoque votis ,
Annus enim nobis sæpe canendus adest ,
Quo Christum accipiant ultro regna inuia nautis ,
Littoraque algenti siqua sub axe iacent ;
Quo tandem à miseris rubigo turpis aristis
Telorum duram transeat in segetem .
Tu modo dexter ades , atque omina nostra secundes ,
Qui geris in forti regia corda manu .
Nam qui sint motus animorum , Maxime Olympi
Regnator , rerum quæ sit imago , vides .

Hinc

Hinc premit Heluetiam ſtrictis furor impius armis;
Hinc luget patrio Sarmata pulſus agro;
Quà coniuratis iungit ſocia arma Britannis
Gens bellum populis exitiale ferens;
Quà relegens iter infauſtum feralis Enyo
Itala pugnaces ducit in arua manus,
Ceu Padus Inſubres cum turbidus inuehit imbres,
Quos miſeri luctus augeat agricolæ.
Hinc etiam ferrum Odryſij crudele Tyranni
Per Venetum clades imminet Italiæ.
Scilicet Italiam contra bella, impia bella,
Huc inhiant diræ crimina barbariæ.
Tu tamen ò populis tellus aſſueta regendis,
Ingenio, atque armis inclyta, parce metu.
Maxima ALEXANDRI Virtus tibi militat, altis
Alpibus, & gemino firmior vſque mari.



Errata	pag.	lin.	Corrige.
iactas	2	16	iactas ad
Tibridis accala Daphnys.	14	4	Tybridis accola Daphnis
poteſtas?	15	3	poteſtas.
faſtes	16	13	faſtis
Sancta	18	12	ſancta
Seges	20	8	ſeges
Tibrim	21	11	Tybrim
aruo	28	13	auro
axę	41	13	axe
ſordibus	41	25	ſordidus
tibi	46	21	ſibi
roſte	50	ad marg.	teſte
frnde	55	7	fronde
Olympiades	60	13	Olympiadas
Oceauus	65	19	Oceanus.
quos	70	12	quas
in ſtar	72	1	inſtar
vndamqua	91	23	vndamque
pro	93	13	prò
adeo ne	97	23	adeone
lucuplex	101	6	locuples
geminaudum	101	11	geminandum
Tibrim	102	6	Tybrim
fatiene	139	22	faciene
periijſſe	155	2	perijſſe



